



**Francisci Monacelli Eugubini J. U. D. Protonotarii
Apostolici, olim Ecclesiae Venusinae, ac deinde Aesinatis
Vicarii Generalis, &c. Formularium Legale Practicum Fori
Ecclesiastici**

In Quo Formulæ Expeditionum usufrequentium de his, quæ pertinent ad
Officium Judicis nobile, continentur ; Opus Episcopis, Vicariis Generalibus,
Aliisque Iurisdictionem quasi Episcopalem exercentibus: necnon
Confessariis, Parochis, Cancellariis, cæterisque in dicto Foro versantibus,
apprimè utile ...

Monacellus, Franciscus

Venetiis, 1706

Appendix Ad Formularium Legale Practicum Fori Ecclesiastici Continens
plures Constitutiones Apostolicas, & Decreta Sacrarum Congregationum
cum Adnotationibus, ac Instructione pro Visitoribus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62406](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62406)

APPENDIX AD FORMULARIUM LEGALE PRACTICUM FORI ECCLESIASTICI

Continens plures Constitutiones Apostolicas, & Decreta Sacrarum
Congregationum cum Adnotationibus, ac Instru-
ctione pro Visitatoribus.

Pii V. Const. V.

De Cultu, & Veneratione
Ecclesiarum.

SUMMARIUM.

- 1 Ecclesia collapsæ, vel suppellectilibus destitutæ, debent destrui, si non possunt provideri, & restaurari, & n. 2. 3. & 4.
- 5 Beneficiatus pro admissione ad partici-

pationem Collegii Ecclesiastici potest licitè aliquid solvere, in usum Sacrificii erogandum.

- 6 Statutum Ecclesiæ quo disponitur, quod noviter admissi ad servitium Ecclesiæ non participant per annum, vel biennium, sed gratis inserviant est licitum, & servandum.
- 7 Beneficium assequens juris patronatus pro remuneratione servitorum preestitorum, simoniam non committit, si debitum non erat legale.

PIUS EPISCOPUS, &c.

CUM primùm Apostolatus Officium Divina Nobis dispositione commissum suscepimus, statim omnem curam, & cogitationem nostram in Domini Gregis fidei nostræ crediti salute defiximus, & Christi fideles, Deo juvante, ita dirigere statuimus, ut à vitiis, & peccatis abstinentes, iter quod ad vitam æternam ducit insistant.

- §. 1. Cum autem ad omnia, quæ Divinam Majestatem aliquo modo possent offendere, removenda, mentis nostræ aciem intenderimus, ea primùm, & sine mora emendare decrevimus, quæ Deo præter cætera displicere, & iram ejus provocare, cum Divinæ docent Scripturæ, tum gravissima exempla declarant, nempe Divini Cultus neglectum, simoniæ labem, blasphemiarum crimen, & libidinis naturæ contrariæ vitium execrandum, propter quæ populi, & nationes, bellorum, famis, & pestilentiarum calamitatibus, justa Dei ultione sæpè plectuntur. Et si autem contra eos, qui tam gravia crimina admiserint, multæ à Prædecessoribus nostris Constitutiones editæ fuerunt; tamen quia parum est leges edere, nisi sint, qui eas debitis temporibus exequantur.
- §. 2. Idcirco nequi forsitan extolerantia sperare impunitatem audeant, scientes plerosque pœnarum gravitate magis, quàm Dei timore arceri solere à voluntate peccandi, omnes, & singulas sententias, censuras, & pœnas contra eos, qui talia deliquerint, latas confirmamus, & Apostolica auctoritate innovamus, nec de

de earum rigore quicquam relaxamus, admonemusque eos, qui talia perpetrare veriti non fuerint, non solum subituros eas pœnas, quæ sacris sunt Canonibus constitutæ, sed eas etiam, quas leges Civiles comminantur, & nostri quoque arbitrii discretio pro personarum qualitate constituet.

§. 3. Mandantes Civitatum, & Locorum Status nostri Ecclesiastici pro tempore Ordinariis, & Gubernatoribus, illis quidem sub pœna suspensionis à Divinis, his verò sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ut quos debitum Deo Cultum in Ecclesiis non tribuere, aliisque nefandis criminibus pollutos esse compererint, comprehendi curent pœnis afficiendos competentibus. Scituris etiam ipsis Judicibus, quod, si post hanc nostram Constitutionem in castigandis hujusmodi delictis negligentes fuerint, primùm quidem Dei Omnipotentis iudicio obnoxii erunt, deinde nostram quoque incurrent indignationem. Ut autem pœnarum certitudo cunctis facilius innotescat, nonnullas hic duximus exprimendas, aliis nihilominus contra hujusmodi criminum reos à jure statutis in suo robore manentibus.

§. 4. Ut igitur Deo Optimo Maximo, Gloriosæ Virgini, & Sanctis omnibus debitus honor deferatur, Gregorii X. Prædecessoris nostri Constitutionem innovantes, ac Statuta in Tridentino Concilio observari volentes, statuimus, & ordinamus, ut ad Ecclesias sit humilis, & devotus ingressus, quieta conversatio, devotis orationibus insistant, & omnes genibus flexis SS. Sacramentum adorent, ad nomen Jesu Christi Domini Nostri cum exhibitione reverentiæ caput inclinent, nullus in dictis Ecclesiis seditionem faciat, tumultum exciter, clamores moveat, impetumvè committat. Cessent vana, sæda, & profana colloquia, risus immoderati, & strepitus omnes iudiciorum, & alia quæcumque, quæ Divinum Officium perturbare possunt. Nullus intra Ecclesias deambulare audeat, sive præsumat, dum celebrantur Sacra Missarum Mystera, & alia Divina Officia. Qui verò prædicta petulanti animo contempserint, præter Divinæ ultionis acrimoniam, nostri quoque arbitrii pœnas incurrent, quæ omnia locorum quoque Ordinarii in suis Ecclesiis faciant observari. Quicumque verò in Ecclesiis, dum ibi Sacrificium Missæ, & Divina celebrantur Officia, aut Verbum Dei prædicatur, deambulare, vociferari, aut verso tergo ad Sanctissimum Sacramentum irreverenter sedere, aut aliquid, quod scandalum generet, aut Divina perturbet Officia, facere præsumperit, pœnam viginti quinque ducatorum incurret, præter alias arbitrio nostro imponendas, & moderandas pœnas. Et qui non habebit in ære licet in corpore, aut exilio mul'tabitur. Qui verò in Ecclesiis cum Mulieribus impudicis, sive etiam honestis colloquium scurrile habuerit, aut alios inhonestos actus fecerit, viginti quinque ducatorum pœnam incurrat, & carceris per mensem. Qui in Ecclesiis, ut supra, obscænis, & inhonestis verbis, aut signis usus fuerit, aut alia sæda colloquia cum personis quibuscumque habuerit, decem aureorum pœna mul'tetur, aut alias corporaliter puniatur. Mandamus prætereà omnibus, & singulis Cathedralium, Collegiatarum, & Parochialium Ecclesiarum Capitulis, Rectoribus, Vicariis, Sacristis, Hostiariis, & aliis ipsarum Custodibus, quatenus præfatos omnes in Ecclesiis delinquentes admoneant, & ut in eis verita fieri non permittant, vel saltem ipsis Ordinariis, vel Officialibus nostris puniendos deferant. Quod si facere neglexerint, pœnam duorum aureorum vice qualibet incurrent.

§. 5. Pau-

- §. 5. Pauperes quoque mendicantes, seu eleemosynas petentes, per Ecclesias tempore Missarum, prædicationum, aliorumque Divinorum Officiorum ire non sinant, sed eos ad valvas Ecclesiarum stare faciant sub pœna duorum aureorum capitulis infligenda pro qualibet vice, nisi eos ejici curaverint, & Parochis dimidii aurei. Religiosis etiam Claustralibus, sive Regularibus præcipimus in virtute sanctæ obedientiæ, ut in Ecclesiis suis deputent aliquem, qui tales ejiciat, & si negligentes fuerint, gravissimè ab Ordinario corripiantur, quod si illi parere recusaverint, gravissimas pœnas incurrent, & pro qualitate personarum etiam corporaliter punientur arbitrio nostro, sive Superiorum.
- §. 6. Et ut in Ecclesiis *nihil indecens relinquatur*, iidem provideant, ut capsæ omnes, & deposita, seu alia Cadaverum conditoria super terram existentia omnino amoveantur, prout aliàs statutum fuit, & defunctorum corpora in Tumbis profundis infra terram collocentur.
- §. 7. Cum verò dierum Fæstorum observatio ad Dei Cultum maximè pertineat, & in Lege Divina præcipiatur, cupientes abusus pravus, qui ex eorum inobservantia invaluerunt, omninò corrigere, & antiquorum Canonum Statuta renovantes mandamus, ut omnes dies Dominici, & præcipuè in honorem Dei Beate Mariæ Virginis, Sanctorum Apostolorum feriat, cum omni veneratione observentur, & omnes in diebus præfatis Ecclesias frequentent, Divinis Officiis devotè intendant, ab omni illicito, & servili opere abstineant, mercatus non fiant, profanæ negotiationes, & judiciorum strepitus conquiescant. Qui verò in diebus præfatis opus aliquod illicitum fecisse deprehensus fuerit, præter Divinam ultionem, & amissionem Animalium, quibus ad vesturam utetur, etiam graves pœnas incurreret arbitrio nostro, seu Vicarii nostri in Urbe. In aliis autem locis arbitrio Ordinariorum, vel aliorum Magistratum, itaut præventioni locus sit. Quibus omnibus strictè præcipimus, ut hæc diligenter observari procurent, illas etiam festivitates, quæ juxta consuetudinem locorum solemniter celebrari consueverunt, debita cum reverentia observari faciant, sub pœnis arbitrio ipsorum imponendis, & moderandis.
- §. 8. Et ut Simoniacæ pravitatis labe prorsus aboleatur, Constitutiones antecessorum nostrum contra Simoniacos editas, & præsertim Pauli II. inviolabiliter observari mandamus, & delinquentes tam in Sacrorum Ordinum receptione, *quàm in beneficiorum assentione*. Statutis etiam inferius pœnis nostra auctoritate affici volumus. Quicumque igitur detestabile crimen Simoniacæ pravitatis commisisse convictus fuerit in consequentibus Ordinibus, eo ipso sit ab illorum executione per decennium sine spe dispensationis suspensus, & per annum carceribus mancipetur. Qui Dignitates Ecclesiasticas simoniacè acquisiverit, illis sit ipso jure privatus, & in futurum inhabilis ad eas, & quascumque alias obrinendas. Qui Beneficium, aut Officium Ecclesiasticum simoniacè adeptus fuerit, illis similiter sit ipso jure privatus, & ad fructuum omnium quos perceperit, restitutionem teneatur, & perpetuò sit inhabilis ad ea, & quascumque alia Beneficia obtinenda. Si quis autem tale crimen pluries commisisse convictus fuerit, præter supradictas pœnas, etiam corporaliter puniatur, & ab Ordinibus Ecclesiasticis degradatus à fidelium confortio ejiciatur. Qui verò Ordines, & Beneficia simoniacè contulerint, pœnis à jure statutis puniantur cujuscumque gradus, conditionis, & dignitatis, etiam si Epif.

- fi Episcopi, Archiepiscopi, vel majores fuerint.
- §. 9. Caveant prætereà quicumque ne in Sacramentorum exhibitione simoniacum aliquid faciant, alioquin gravissimè puniantur, per locorum Ordinarios, qui hujusmodi criminis reos cum maxima severitate coercere procurent, juxta Concilii Tridentini Statuta.
- §. 10. Ad abolendum verò nefarium, execrabile blasphemiae scelus, quod in antiqua Lege Deus morte puniri mandat, & Imperialibus quoque Legibus receptum est, nunc autem propter nimiam Judicum in puniendo segnitiam, vel potius defuetudinem supra modum invaluit, Leonis X. Prædecessoris nostri in novissimo Lateranen. Concilio Statuta innovante, decernimus, ut quicumque Laicus Deum, & Dominum Nostrium Jesum CHRISTUM, vel Gloriosam Virg. MARIAM ejus Genitricem expressè blasphemaverit, pro prima vice penam viginti quinque ducatorum incurrat, pro secunda, pœna duplicabitur, pro tertia autem centum ducatos solvet, & ignominia notatus, exilio multabitur. Qui verò plebejus fuerit, nec erit solvendo, pro prima vice manibus post tergum ligatis ante Fores Ecclesiae constituetur per diem integrum, pro secunda fustigabitur per Urbem, pro tertia lingua ejus perforabitur, & mittetur ad triremes. Quicumque Clericus in hoc blasphemiae crimen incurrerit pro prima vice fructibus unius anni omnium, & quorumcumque Beneficiorum, suorum pro secunda Beneficiis ipsis privetur, pro tertia omnibus etiam dignitatibus exutus deponatur, & in exilium mittatur. Quod, si Clericus nullum obtinerit Beneficium, pœna pecuniaria, vel corporali pro prima vice puniatur, pro secunda carceribus mancipetur, pro tertia verbaliter degradetur, & ad triremes mittatur. Qui reliquos Sanctos blasphemaverit, pro qualitate blasphemiae, atque personae arbitrio Judicis puniatur.
- §. 11. Si qui crimen nefandum contra naturam, propter quod irà Dei venit in filios diffidentiae perpetraverit, Curiae Sæculari puniendus tradatur, & si Clericus fuerit, omnibus ordinibus degradatus simili pœna subjiçatur.
- §. 12. Monemus prætereà omnes locorum Ordinarios, & in virtute sanctae obedientiae eis præcipimus, ut Statuta Tridentini Concilii contra Concubinarios tam Clericos, quam Laicos edita districtè faciant observari, reddituri Deo, ac Nobis, si id omiserint, rationem.
- §. 13. Et ut præmissorum delictorum simoniae blasphemiae, ac stupri nefandi notitia facilius habeatur, volumus, quod in singulis casibus, non solum per accusationem, & inquisitionem, sed etiam ad simplicem, & secretam de nunciationem procedatur per quoscumque Judices, aliàs tamen de jure competentes tam ratione delicti, quam personarum, ita quod inter eos locus sit preventionis.
- §. 14. Monemus prætereà omnes, & singulos, ut solum Dei timorem præ oculis habentes, non alia animi prava affectione ducti, culpabiles tantum deferant, innocentes non vexent. Quod si aliqui ex calumnia aliquos denunciassè comperti fuerint, eos ad pœnam talionis teneri volumus, & mandamus.
- §. 15. Multæ autem pecuniariae applicabuntur pro duabus partibus locis piis arbitrio nostro in Urbe, extrà verò, Ordinariorum, pro tertia accusatori, qui delinquentes detulerit.
- §. 16. Mandamus autem Principibus, Comitibus, & Baronibus omnibus, Sancta

Romanæ Ecclesiæ Feudatariis, sub pœna privationis Feudorum, quæ ab ipsa Ecclesia Romana obtinente; reliquos verò Principes Christianos, & Terrarum Dominos hortamur in Domino, & in virtute sanctæ obedientiæ mandamus, ut pro Divini Nominis reverentia, & honore, præmissa omnia in suis Dominiis, ac Terris exactissimè servari faciant, uberrimam ab ipso Deo mercedem tam bonis operibus recepturi.

§. 17. Non obstantibus quibuscumque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac exemptionibus, &c. quomodolibet Conventibus, Militibus, Ordinibus, & personis, &c. concessis, &c. quibus expressè derogamus, &c.

Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo sexto Kal. Aprilis Pontificatus nostri anno primo.

Bullar. tom. 2. pag. 179.

ADNOTATIONES.

N I H I L I N D E C E N S R E L I N Q U A T U R. Ecclesiæ, quæ vel temporis injuria, vel tenuitate Beneficiorum ibi existentium, vel inopia Patronorum, aut incolentium collapsæ instaurari nequeunt, ve de necessariis ornamentis, & subsidiis destitutæ reperiuntur, nec de illis provideri, *ex Concilii sanctione cap. 7. sess. 21. de Reformat. penitus destruantur*: Indecens porro est, quod Ecclesiæ Dei cultui dicatæ nihil differant à Fœnili, vel Stabulo: Ideo enim Ecclesiæ consecrantur, & benedicuntur, ad hoc, ut ibidem Angeli in conventu fidelium invitentur, sciantque Catholici quamcumque indecentiam esse proscribendam ab illo loco, qui Terra Sancta est, ut notat Alcuin. *in cap. na Domini*.

2. Et ideò in secundo generali Concilio Nicæno can. 17. sic sancitum fuit -- *Quoniam quidam Monachi relictis suis Monasteriis cupidi imperii, & parere recusantes, aggrediuntur extruere Sacella, cum quæ necessaria sunt ad perfectum ornatum non habeant. Si quis itaque hoc facere aggressus fuerit, prohibeatur ab ejus loci Episcopo, quod si necessaria habuerit ejus consilia ad exitum perducantur. Idem autem observandum tam in Laicis, quam in Clericis.*

3. Ac in Concilio Lateranen. IV. sub Innoc. III. Can. 2. de inst. Eucharist. -- *Sunt & alii, qui non solum Ecclesias dimittunt incultas, verum etiam vasa Ministerii, & vestimenta Ministrorum, ac pallas Altaris, ne non ipsa corporalia tam immunda relinquunt, quod interdum aliquibus sunt*

horrori, &c. Præcipimus quoque, ut Oratoria, vasa, corporalia, & vestimenta prædicta munda, & nitida conserventur, nimis enim videtur absurdum in sacris sordes negligere, quæ dedecere etiam in prophetis.

4. Hæc in memoriam Episcoporum, aliorumque Ordinariorum locorum reducere inutile non putavit, ut in visitationibus curent hæc à Rectoribus Ecclesiarum servari; quoniam ubique, cum magna sacrarum rerum irreverentia, & hæreticorum irrisione, illorum socordia deploranda invenitur: Eisque inhibeat sub pœna arbitraria, ne exceptis casibus confugii, permittant bona reponi in Ecclesiis, & locis sacris, prout inhiendum esse censuit *Sac. Congr. Immunit. in Nutrina Umbria 15. Julii 1636. lib. 3. Decret. Paul. fol. 10.*

5. **QUAM IN BENEFICIO-
RUM ASSECVTIONE.** Beneficiatus, vel alius admittus, ad participationem Massæ Collegii Ecclesiastici, solvens aliquam pecuniæ summam tempore ingressus, & admissionis pro suppellectilibus Sacriliæ, vel ut erogetur in usus pios, non facit contra hanc Constitutionem, nec simoniam dicitur committere, sed licitè solvit; quia tam *Concil. Trid. sess. 24. c. 14.* quam altera Bulla hujus Pontificis in ordine 104. statuta, & consuetudines hujusmodi non abrogant, *Tondut. quæst. benefic. tom. 1. cap. 47. n. 5. & seqq. Pignatell. consult. 158. nu. 10. tom. 1. & declaravit Sac. Congregat. Episcoporum 27. Martii 1692. in una Caput. quæst.*

6. Immo ubi adest consuetudo, vel statutum, quod Beneficiatus, sive admittus

fus ad participationem, per aliquot temporis spatium gratis inserviat, & onera subeat, consuetudo, sive statutum servari debet, nec Episcopus illam, seu illud tollere potest, prout Sac. Concilii Congr. declaravit in Salernitana. 11. Maii 1609. & in Andrien. 5. Maii 1696.

7. Si verò quis pro remuneratione servitorum, mercede promissa, vel debito Beneficium Jurispatronatus consequeretur, simoniacè reciperet, quia res spiritualitati annexa, ex causa prædicta concedi, vel transferri non potest. Quod verum intelligas, si donans, vel transierens, pro servitiis præstitis potuisset in iudicio conveniri Vivian. de Jurcp. lib. 4. cap. 6. num. 73. vers. Adde, cum quo concordat Navar. lib. 5. consil. de simon. consil. 39. n. 2. ubi firmat, quod remissio obligationis, seu debiti pro consecutione Beneficii Jurispatronatus, tunc demùm possit inducere Simoniam, si debitum sit legale, quod possit ab initio exigi; secus si debitum esset de honestate,

sive antidotale, & in pactum non deductum, Nicol. lucubr. civil. lib. 4. tit. 18. de simon. num. 34. in princ.

Pii V. Const. VIII.

De Clausura Monialium.

S U M M A R I U M.

- 1 Una ex præcipuis Curis Episcopi est custodia clausuræ Monialium.
- 2 Excommunicatio incurfa ob ingressum in clausuram non est Papæ reservata, nisi fiat ad malum finem, vel sub prætextu facultatis concessæ ante Gregorii tempora, & n. 3.
- 4 A censuris incurfis ob violatam clausuram, & Papæ reservatis, absolvit Episcopus, dummodo sint occultæ.
- 5 Clausuram violat, & censuras incurrit, qui introducit infantes cujuscumque ætatis. Non tamen, qui fert opem n. 6.

PIUS EPISCOPUS, &c.

§. 1. Circa Pastoralis Officii &c.

Hacigitur perpetuò valituta Constitutione, inhærentes etiam Constitutioni fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris nostri, quæ incipit, *Periculoso*, & Decretis Concilii Tridentini super Clausura Monialium editis, auctoritate Apostolica tenore præsentium statuimus, atque perpetuò decernimus, universas, & singulas Moniales præsentis, atque futuras cujuscumque Religionis, Ordinis, vel militiarum etiam Hierosolymitanæ sint, quæ vel jam receptæ sint, vel in posterum in quibusvis Monasteriis sive Domibus recipientur, & tacite, vel expresse Religionem professæ, etiam si conversæ, aut quocumque alio nomine appellentur, etiam si ex institutis, vel foundationibus earum regulæ ad clausuram non teneantur, nec unquam in earum Monasteriis, seu Domibus, eitam ab immemorabili tempore ea servata non fuerit, sub perpetua in suis Monasteriis, seu Domibus, debere de cætero permanere clausura, juxta formam dictæ Constitutionis fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris nostri, quæ incipit *Periculoso*, in Sac. Concilio Tridentino approbatam, & innovatam, quam nos auctoritate præfata etiam approbamus, & innovamus in omnibus, & per omnia, ac illam districtè observari mandamus.

§. 2. Quod si aliquæ Moniales forsan reperiantur, quæ consuetudine etiam immemorabili, aut instituto, vel fundacione Regulæ suæ fretæ, animo obstinato huic clausuræ resistent, aut quoquo modo reluctentur, Ordinarii unà cum Superioribus earum, omnibus juris, & facti remediis compellant easdem tamquam rebelles, & incorrigibiles ad præcisè subeundum dictam clausuram, & perpetuò observandum.

§. 3. Mu-

- §. 3. Mulieres quoque, quæ Tertiariæ, seu de penitentia dicuntur, cuiuscumque fuerint Ordinis in Congr. viventes, si & ipsæ professæ fuerint, ita ut solemne votum emiserint, ad clausuram præcisè, ut præmittitur, & ipsæ teneantur. Quod si votum solemne non emiserint, Ordinarii unà cum Superioribus earum hortentur, & persuadere studeant, ut illud emittant, & profiteantur, ac post emissionem, & professionem eidem clausuræ se subiciant. Quod si recusaverint, & aliquæ ex eis inventæ fuerint scandalosè vivere, severissimè puniantur.
- §. 4. Cæteris autem omnibus sic absque emissionem professionis, & clausura vivere omninò volentibus, interdiciamus, & perpetuò prohibemus, ne in futurum ullam aliam profus in suum Ordinem, Religionem, Congregationem recipiant. Quod si contra huiusmodi hanc nostram prohibitionem, & decretum aliquas recipierint, eas ad sic vivendum omninò inhabiles reddimus, ac illarum quaslibet professiones, & receptiones irritas decernimus, & nullas, & prout etiam præsentis Decreto irritas facimus, & annullamus.
- §. 5. Porrò ne Moniales, vel Tertiariæ prædictæ propter hanc clausuram detrimentum, aut incommodum aliquod in earum necessitatibus, maximè in pertinentibus ad illarum victum patiantur, sed ut eis opportunè consulatur, auctoritate Apostolica præfata statuimus, decernimus, præcipimus, atque mandamus Ordinariis, & Superioribus earum, ut curent colligi fidelium elemosynas per Conversas, quæ non sint professæ, vel si professæ fuerint sint tamen ætatis annorum quadraginta, & in Domibus contiguis, extra tamen Monasterium, degant, & non ingrediantur clausuram aliarum Monialium, nisi in casibus ex earum Constitutionibus permissis, & de earum Domibus exire non possint pro huiusmodi elemosynis colligendis, nisi de licentiâ Ordinarii, vel earum Superiorum.
- §. 6. Et de cætero nullæ aliæ Conversæ professæ recipi amplius etiam de consensu suorum Superiorum, vel Prælatorum possint. Quod si adversus hanc nostram prohibitionem receptæ fuerint, illarum receptio nulla, irrita, & inanis sit, prout ex nunc nullam, & irritam facimus, & annullamus.
- §. 7. Quod si prædicto modo necessitatibus Monialium, & Mulierum Tertiariarum prædictarum succurri sufficienter non poterit, mandamus ipsis Ordinariis, & Superioribus earum, ut ipsi provideant de aliis personis piis, & Deo devotis, quæ fidelium elemosynas colligant, vel aliàs eo meliori, & commodiori modo quo fieri poterit, etiam ex opere manuum ipsarum Monialium, & Mulierum prædictarum arbitrio Ordinariorum, & Superiorum earundem, & prout eis congruentius expedire videbitur, provideatur, & succurratur. Et ne propter Monialium numerum excessivum clausuræ observatio violetur, inherentes etiam similiter dispositioni d. Constitutionis Bonifacii, & Concilii Tridentini Decreto, Monialibus prædictis, & illarum Superioribus, & Ordinariis districtè inhibendo præcipimus, & mandamus, ne plures in earum Monasteriis recipiant, & admittant, sive recipi, & admitti permittant, quam ex propriis redditibus ipsorum Monasteriorum, vel consuetis elemosynis commodè sustentari possint.
- §. 8. Mandamus propterea in virtute Sanctæ Obedientiæ, sub obtestatione Divini iudicii, & interminatione maledictionis æternæ, universis Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis, quatenus in Civi-

Civitatibus, & Diocesis propriis, presentes nostras litteras publicari faciant, ac in Monasteriis Monialium sibi ordinario jure subiectis, in iis vero, quæ ad Romanam mediatè, vel immediatè spectant Ecclesiam, Sedis Apostolicæ auctoritate unà cum Superioribus eorundem Monasteriorum clausuram, ut præmittitur, quamprimum poterint servari procurent. Contradictores atque rebelles per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, invocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachii sæcularis. Ac ut hoc tam salutare Decretum facilius observetur, omnes Principes sæculares, & alios Dominos, & Magistratus temporales rogamus, requirimus, & obsecramus per viscera misericordie D.N. JESU CHRISTI, eisdem in remissionem peccatorum injungentes, quod in præmissis omnibus, eisdem Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis, & aliis Monialium Superioribus assistant, ac suum favorem, & auxilium præstent, ac impediens prænis etiam temporalibus afficiant: (*Et sequitur amplissima derogatio Privilegiis, ac Indultis quibuscumque.*)
 Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo sexto 4. Kal. Junii Pontificatus nostri anno 1. *Bullar. tom. 2. pag. 184.*

Sequitur declaratio dictæ Bullæ.

PIUS EPISCOPUS &c.

DEcori, & honestati omnium Sanctimonialium quantum JESUS CHRISTUS Dominus noster Sponsus est, ut in puritate, & castitate superedificantes, in ipso feliciter inhabitare valeant, consulentes ea, quæ illarum existimationi detrahere possent, decet Nos consultò summovere.

§ 1. Sanè periculo, & scandalo plena res est, ac regulari observantiæ vehementer adversatur, Sanctimoniales aliquando Parentes, Fratres, Sorores, aut alios Agnatos, vel Cognatos, nec non Monasteria, & alia filiationes nuncupata, etiam eis subiecta visitandi, aut infirmitatis causa, aliove pretextu à Monasteriis exire, & per sæcularium personarum Domus discurrere, & vagari, quo velut colore eximium quoque honestatis, & pudicitie decus in discrimen committunt.

§ 2. Unde Nos malo huic pro nostro Pastoralis officii debito salubriter occurrere volentes, inherentes etiam Decreto Sacri Concilii Tridentini de Clausura Monialium disponenti, ac aliis nostris litteris super hujusmodi clausura editis adjicientes, volumus, sancimus, & ordinamus nulli Abbatisarum, Priorissarum, aliarumve Monialium etiam Cartusienarium, Cisterciensium, Sancti Benedicti, & Mendicantium, & quorumcumque aliorum Ordinum etiam Militiarum, ac statuum, graduum, & conditionum, dignitatum, ac præminentiarum existentium etiam à Regia, vel Illustri profapia ortarum, de cetero etiam infirmitatis, seu aliorum Monasteriorum, etiam eis subiectorum, aut domorum, parentum, aliorumve consanguineorum visitandorum, aliavè occasione, & pretextu, nisi ex causa magni incendii, vel infirmitatis lepræ, aut epidemie, quæ tamen infirmitas præter alios Ordinum Superiores, quibus cura Monasteriorum incumberet, etiam per Episcopum, seu alium loci Ordinarium, etiam si prædicta Monasteria ab Episcoporum, & Ordinariorum jurisdictione exempta esse reperiantur, cognita, & expressè in

Monacelli Form. Pars I.

B b

scri-

scriptis approbata sit, à Monasteriis præfatis exire, sed nec in prædictis casibus extra illa nisi ad necessarium tempus stare licere, *Aliter autem quam ut præferitur, egredientes, seu licentiam exeundi quomodocumque concedentes*, nec non comitantes, ac illarum receptatrice personas sive laicas, aut sæculares, vel Ecclesiasticas, consanguineas, vel non, excommunicationis majoris lætæ sententiæ vinculo statim eo ipso absque aliqua declaratione subjacere, à quo præterquam à Romano Pontifice, nisi in mortis articulo absolvi nequeant. Et insuper tam egressas, quam præfidentes, & alios Superiores prædictos eis licentiam hujusmodi concedentes, dignitatibus, officiis, & administrationibus, per eas, & eos tunc obtentis privamus, & illas, & illos ad obtenta, & alia in posterum obtinenda inhabiles declaramus.

§. 3. Nec non licentias, & facultates, seu indulta, & privilegia exeundi à Monasteriis, & extra illa standi à Nobis, seu alio Romano Pontifice prædecessore nostro, ac Sedis Apostolicæ Nunciis, & Legatis etiam de latere, ac Majore Penitentiario, aut Ordinum prædictorum Superioribus, aliisque personis sub quibuscuque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis restrictivis, præservativis, mentis attestativis, etiam novam gratiam, & datam concedentibus, aliisque efficacioribus, ac insolitis clausulis irritantibusque, & aliis Decretis, in genere, vel in specie, etiam motu proprio, & ex certa scientia deque Apostolicæ potestatis plenitudine etiam Imperatoris, Regum, Ducum, & aliorum Principum, nec non S. R. E. Cardinalium intuitu, & contemplatione, ac instantia, vel aliàs quomodolibet concessa (que prorsus abolemus) ac litteras desuper confectas, & in posterum concedendas, & conficiendas, nullas, & invalidas, nulliusque roboris, ac momenti fore, nec illas habentibus, & habituris suffragari posse.

§. 4. Et ita per quoscumque Judices, & Commissarios quavis auctoritate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, irritum quoque, & inane quicquid fecus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

§. 5. Mandantes &c. *locorum Ordinariis* in virtute Sanctæ Obedientiæ, & sub obtestatione Divini judicii, & interminationis maledictionis æternæ, quatenus &c. præfentes litteras &c. omniaque in illis contenta, nec non præfatum Decretum ipsius Concilii &c. inviolabiliter &c. observent, & observari faciant &c.

6. (*Sequuntur clausula derogatorie.*)

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo septuagesimo Kal. Febr. Pontificatus nostri anno 5.

ADNOTATIONES.

1. **L**OCORUM ORDINARIIS. Una ex præcipuis Curis Episcoporum sub obtestatione Divini judicii est custodia Clausuræ Monialium etiam exemptarum, *Concil. Trid. sess. 25. cap. 5. de Regular.* ad quam illibatam servandam, possunt visitare Monasteria etiam non sibi subdita absque assi-

stentia Superiorum illorum, quoties expediens judicaverint, *Sacr. Congreg. apud Gavant. in verb. Monialium Clausura n. 56. Et tribus seq.*

2. Excommunicatio, quam incurrunr hi, qui sine licentia Episcopi ingrediuntur Clausuram, non est Papæ reservata ex vi dictæ Constitutionis, ut observat Gavant. *ubi supra n. 27. Donat. prax. rer. Regular. tom. 4. tract. 5. quæst. num. 3.*
Nisi

Nisi quis ingrederetur ad malum finem, quia tunc casus esset Papæ reservatus, Donat. *ibidem*, vel quis ingrederetur prætextu facultatum concessarum, quia etiam tunc excommunicatio esset Papæ reservata, Donat. *ibidem* num. 5. quem sequitur Biff. Hierurg. tom. 2. litt. S. num. 211. §. 30. ex vi Bullæ Greg. XIII. de qua infra: Nicol. in *fosc. verb. Clausura* n. 40.

3. Quod intelligas de facultatibus, & privilegiis concessis ante Gregorii tempora, secus si posteriora fuerint cum clausula derogatoria dictæ Constitutioni, & Regulæ, si qua sit, quæ præcipiat, quod non admittantur foeminae in Monasterium idem Donat. tom. 2. tract. 4. de violat. claus. Monast. quæst. 4.

4. A qua tamen Censura Papæ reservata, si esset occulta, poterit ab Episcopo vigore Concil. Trid. sess. 24. cap. 6. de reform. absolvi, vel ab alio Confessario ab eodem Episcopo delegato, ut ex Navar. tom. 2. lib. 5. de sent. excom. cons. 43. & aliis pluribus auctoritatibus probat Donat. *prax. rer. Regular. tom. 2. tract. 4. de violat. Clausur. Monast. quæst. 33. n. 2.*

5. Violat Clausuram, & Censuras incurrit, qui introducit infantes cujuscvis sexus, & ætatis, sic pluries declaravit Sac. Congr. Episcop. prout referunt Nicol. in

fosc. verb. Clausura n. 29. & Pignatell. *consult. 85. num. 243. tom. 6. Gavant. manual. Episc. ubi supra* num. 31. quod est contra Donat. de Regular. tom. 4. tract. 5. qu. 11. & alios ab eo relatos; & hos Episcopus sequi non debet, sed oraculum Sac. Congregationis, quæ majori auctoritate hoc decidendi pollet, quàm sibi deferendum existiment Authores Regulares.

6. At advertite, quod hac censura non afficiuntur cooperantes, seu assistentes ingressui, sed Superior, & Moniales, quæ sine necessitate personas cujuscvis ætatis, & sexus in Clausuram recipiunt, & introducunt, ut observat Pelizar. de Monial. cap. 5. sect. 3. num. 101. Sac. Congreg. Concil. in Monopolitana Censurarum 20. Junii 1693.

Pii V. Constit. XXXIII.

De forma servanda in collatione Parochialium.

S U M M A R I U M .

1 Plures sunt casus, in quibus non existitur concursus Parochialium vacantium, qui enumerantur.

PIUS EPISCOPUS, &c.

IN conferendis Beneficiis Ecclesiasticis præsertim Parochialibus Ecclesiis personis dignis, & habilibus, quæ in loco residere, & per se ipsos curam exercere valeant, quantam diligentiam adhiberi oporteat, Alexandri III. Lateranen. & Gregorii X. Lugdunen. generalibus Conciliis, ac Innocentii similiter III. & aliorum Romanorum Pontif. prædecessorum nostrorum editæ Constitutiones testantur.

§. I. Quod ut diligentius, ac rectius perficiatur, statuit etiam Synodus Tridentina, ut occurrente vacatione Parochialis Ecclesiæ, etiam generaliter vel specialiter, etiam vigore indulti in favorem S. R. E. Cardinalium, aut aliàs quomodolibet reservatæ, vel affectæ, debeat Episcopus, habita notitia vacationis Ecclesiæ, si opus fuerit, idoneum in ea Vicarium cum congrua ejus arbitrio fructuum portionis assignatione constituere, qui onera ipsius Ecclesiæ sustineat donec ei de Rectore provideatur. Et deinde Episcopus, & qui jus patronatus habet, intra decem dies, aut aliud tempus ab Episcopo præscribendum, aliquos Clericos ad regendum Ecclesiam idoneos Examinatoribus juxta formam ejusdem Synodi deputatis nominet, & non nisi ab eisdem Examinatoribus per concursum aliorum Examinatorum, etiam tamquam magis idoneo ab Episcopo judicato, & electo de Ecclesia provideatur. Aliàs provisiones, seu institu-

- tiones omnes præter formam prædictam factæ surreptitiæ censeantur.
- §. 2. Sed quoniam res humanæ semper in deterius prolabantur, nisi sit, qui eas retineat, ac debitæ executioni demandet, & verendum sit, ne propter Constitutionum hujusmodi transgressionem maximi abusus orientur. Nos ad quorum notitiam non sine gravi nostra molestia pervenit nonnullos ex Venerabilibus Fratribus nostris Archiepiscopis, & Episcopis, occurrente vacatione Parochialium Ecclesiarum, eas nullo aut minus ritè servato examine, præsertim illo, quod per concursum fieri debet ex Concilio Tridentino, vel etiam examine ritè servato, personis minus dignis, carnalitatibus, aut alium humanæ passionis affectum, non rationis iudicium sequentes, contulisse, & de eis providisse, volentes quantum cum Deo possumus hujusmodi, ac etiam futuris periculis occurrere.
- §. 3. Eorundem prædecessorum nostrorum Constitutiones præfatas etiam innovando, auctoritate Apostolica tenore præsentium omnes, & singulas collationes, provisiones, institutiones, & qualvis dispositiones Parochialium Ecclesiarum ab eisdem Episcopis, & Archiepiscopis, ac quibusvis aliis Collatoribus, tam Ordinariis, quàm delegatis, etiam S.R.E. Cardinalibus, ac Sedis Apostolicæ Legatis, vel Nunciis, præter, & contra formam ab eodem Concilio Tridentino præsertim in examine per concursum faciendâ præscriptam factas, aut in futurum faciendas, nullas, irritas, ac nullius roboris, vel momenti fore, & esse, nullumque provisum jus, aut titulum etiam coloratum possidendi præbere, & Parochiales Ecclesias hujusmodi, ut priùs ante collationes hujusmodi vacabant, ex nunc vacare statuimus, decernimus, & declaramus, easque omnes pro tempore sic vacantes nostræ, & Sedis Apostolicæ, seu eorum, quibus jus conferendi eas præterquam Episcopis, & Archiepiscopis, qui curam dicti examinis juxta Decretum Concilii habere debent competet, dispositioni reservamus.
- §. 4. Insuper ne Parochiales Ecclesiæ diu in suspenso maneant in maximum animarum periculum, quarumcumque Parochialium Ecclesiarum, quarum dum pro tempore vacant ad Episcopos, Archiepiscopos, Primate, & Patriarchas, & quovis alios Ordinarios collatores, in mensibus ordinariis collatoribus etiam per nostras regulas assignatis provisio, & collatio spectat, & perinet, de quibus iidem Episcopi, & Ordinarii prædicti intra sex mensium spatium à die vacationis earundem perfecto examine juxta formam Concilii Tridentini præfati, non providerint, ac illarum etiam quarum collationes Nobis, & dictæ Sedi generaliter, vel specialiter, & ex quavis causa reservatæ, seu affectæ existunt, aut aliàs ex Indulto Sedis Apostolicæ competunt, ad quas occurrente illarum vacatione Episcopi, & Archiepiscopi præfati personas per examen concursu mutuo habito juxta dicti Concilii Tridentini formam approbatas, & magis idoneas non elegerint, aut electas nobis, vel successoribus nostris, aut iis, ad quos collatio spectabit, pro collatione obtinenda intra quatuor mensium spatium à die illius vacationis non significaverint, nec non Parochialium Ecclesiarum similibus, quæ juris patronatus Ecclesiastici, vel aliorum, seu Clericorum, & laicorum simul fuerint, si præsentatus intra tempus eisdem patronis à jure præfixum prævio examine juxta formam dicti Concilii approbatus petatur institui, institutioque ipsa per duos menses à die præsentationis dilata fuerit, collationem, provisionem, institutionem, ac omnimodam dispositionem Nobis

Nobis, & ipsi Sedi, ac personis indulta hujusmodi conferendi, providendi, seu instituendi obtinentibus respectivè reservamus, data tamen in Parochialibus Jurispatronatus optione dictis Patronis, ut si institutio ad Ordinarios spectabit, ipsis Ordinariis illam facere negligentibus, & ultra dictos duos menses deferentibus, possint pro hujusmodi institutione obtinenda habere recursum ad Metropolitanum, vel viciniorem Ordinarium, aut ad Sedem Apostolicam.

- §. 5. Prohibentes etiam eisdem Concilio Tridentino ad nominandum idoneos Clericos coram deputatis Examinatoribus præfixum, ultra alios decem dies prorogare audeant, vel præsumant.
- §. 6. Districtius inhibentes ne quis præter Romanos Pontifices, aut alios indulta hujusmodi obtinentes, ut præfertur, quacunque sit super auctoritate munitus, de hujusmodi Beneficiis sic reservatis (ut præfertur) disponere, vel circa illa etiam per viam permutationis, vel alias innovare quoquo modo præsumat.
- §. 7. Ut autem non solum dignis, sed magis idoneis repertis, juxta ejusdem Concilii Decretum Parochiales Ecclesiæ conferantur, volumus, & eadem auctoritate decernimus, quod si Episcopus minùs habilem posthabitis magis idoneis elegerit, possint ii, qui rejecti fuerint, à mala electione hujusmodi ad Metropolitanum, vel si ipse eligens Metropolitanus, aut exemptus fuerit, ad viciniorem Ordinarium uti nostrum, & Sedis hujusmodi delegatum, aut alias ad ipsam Sedem Apostolicam appellare, ac præelectum ad novum examen coram ipso appellationis Judice, & ejus Examinatoribus provocare. Et constituto de prioris eligentis irrationabili judicio, eoque revocato, Parochialis magis idoneo per eundem Judicem appellationis auctoritate nostra (quatenus collatio ad Episcopum à quo appellatum fuit spectaret) conferatur: aliàs eidem magis idoneo per Judicem appellationis approbato conferenda remittat ad eum ad quem collatio, provisio, vel institutio spectabit.
- §. 8. Hæc tamen appellatio interposita interim non impediatur aut suspendatur quo minus electio per Ordinarium primo loco facta interim debitæ demandetur executioni, & provisus ab eadem Ecclesia, causa appellationis hujusmodi dependente, non amoveatur.
- §. 9. Et si quis à sententia per Judicem appellationis lata duxerit appellandum, is tunc ad Sedem ipsam Apostolicam appellabit. Si secus in præmissis omnibus, & singulis actum, aut attentatum fuerit, irritum decernimus, & inane &c.

Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1567. 15. Kalen. Aprilis Pontificatus nostri anno 2. Bullar. tom. 2. pag. 219.

ADNOTATIONES.

I PRÆSERTIM IN EXAMINE PER CONCURSUM FACIEN. Plures dantur casus, in quibus concursus non exigitur, sed Parochiales Ecclesiæ absque illo rectè conferuntur, quos referunt Barb. de off. Episcop. allegat. 60. n. 18. cum seqq. Cor. Monacelli Form. Pars I.

rad. prax. benefic. lib. 3. c. 3. n. 5. & seq. Videlicet si Parochialis sit Jurispatronatus laicorum, aut mixti. Si resignetur in manibus Papæ ad favorem certæ personæ, & provisio concedatur in forma dignum. Si permutetur. Si sit Dignitas cui auctoritate Papæ fuerit unita Parochialis perpetuè, & accessoriè. Si sit unita Canonicatui. Si Beneficium Cu-

B b 3 ra.

ratum, quod vacat, est verè Dignitas. Si sit Dignitas Ecclesiæ Collegiatæ, quæ habeat annexam Curam Animarum. Si Animarum Cura exercentur per Canonicos, vel Hebdomadarios. Si est subiecta, vel annexa Monasterio, aut de illius Mensa. Si Parochialis sit Vicaria perpetua, quæ conferatur ad nominationem illorum, quorum Dignitati est unita, quoties transferatur solum exercitium curæ; non verò quo ad habitum. Si sit Regularis; & solita commendari. Si Parochialis acquiratur, & provideatur per regressum, vel per decessum colligantis, nisi jus demortui Pontifex in alium transferat. Si sit exigui redditus, ut examinis per concursum operam non ferret, aut nemo esset, qui examini vellet se subicere; aut ob apertas factiones, sed dissidia, majora scandala possent excitari. Si nemo compareret, assignato per edictum novo termino, confertur sine concursu. Qui casus repetuntur, & explanantur etiam à Nicol. lucubr. can. lib. 3. tit. 5. de præb. à n. 10.

Cætera pertinentia ad intelligentiam hujus Bullæ adnotavi in titulo de collatione Beneficiorum, & in titulo de edictis.

Pii V. Constit. LVIII.

De resignationibus Beneficiorum.

SUMMARIUM.

- 1 Senex dicitur, qui est in ætate 50. annorum.
- 2 Valetudinarii sunt, qui frequenter ægrotant.
- 3 Qui dicantur corpore impediti, enumerantur.
- 4 Qui corpore vitiat.
- 5 Qui crimine obnoxii.

- 6 Qui censuris irretiti.
- 7 Qui nequeant Ecclesiæ inservire.
- 8 Qui Beneficia obtinere dicantur, & ad eadem promoveri num. 9.
- 10 Beneficia ingredientium Religionem non conferuntur nisi secuta professione.
- 11 Et eisdem causis, quibus permissum est Episcopis Episcopatum renunciare, permissum est resignare Beneficia.
- 12 Inimicitia, per quam licita est renunciatio Beneficii, debet esse capitalis.
- 13 Beneficia Jurispatronatus non comprehenduntur sub S. Cæterum hujus Bullæ.
- 15 Archidiaconatus potest conferri non habenti lauream Doctoralem.
- 16 Etiam si Constitutio Synodalis contrarium disponderet, vel in litteris Apostolicis appositum esset Decretum lauream suscipiendi.
- 17 Canonatus etiam collegiatarum insignium conferri possunt Clericis ætatis 14. annorum.
Canonici Collegiatæ non tenentur suscipere Ordines Sacros, nisi statuto Ecclesiæ caveatur ibid.
- 18 Beneficia debita certo generi personarum concurrentibus requisitis non possunt excludi, sed necessario admitienda.
- 19 Episcopus in provisione facienda Præbendæ Theologalis, non dispensat super idoneitate personæ.
- 20 Non concedit facultatem Beneficia conferendi nisi Vicario Generali, quæ concessa non transit in successorem.
- 22 Vicarius Capitularis non confert Beneficia vacantia Sede Episcopali viduata Pastore.
- 22 Episcopus in fundatione Beneficiorum non potest sibi, & successoribus Census reservare.
Episcopus in fundatione Ecclesiæ, si sponte offeratur, potest sibi aliquod jus reservare ibid.

PIUS

PIUS EPISCOPUS, &c.

Quanta Ecclesiæ Dei incommoda olim attulerit, & nunc quotidie magis afferrat, Ministrorum in eam ingressio vitiosa, jam latè perspiciant, & cum mero expendant Præsules omnes, & Pastores, quando hæc pernicies cæterarum omnium maxima, tam multas Orbis Ecclesias impiè violarit.

- §. 1. Quia verò hoc malum cum in cæteris frequens, tum maximè in Beneficiorum, & Officiorum Ecclesiasticorum dimissione admittitur, nemini molestum esse debet, quod proindè de reprimendis quotidianis fraudibus, quæ hac in re frequentiores internoscuntur, certam aliquam rationem tandem in iurisdictionis nostræ partes in prohibenda omnibus interim resignationum hujusmodi acceptatione paulò severiùs interposuerimus, omnesque Beneficiorum interim resignandorum dispositiones, quæ fierent, in irritum revocaverimus, ac etiam decreverimus, nullum per eas in illis jus, neque titulum, vel coloratum, tam in petitorio, quàm in possessorio ipsis provisum tribuere, quin etiam eos ad illa deinceps obtinenda perpetuò inhabiles fore. Collatores ex verò aliàs in illorum dispositione, etiam tanquam devolutionis jure sese interponere non posse, sed de eis, ut verè vacantibus, sive per Romanos Pontifices, sive alios Collatorum eorundem Superiores uti præventum esset liberè provideri.
- §. 2. Nunc autem intendentes institutum hoc nostrum, quo Sanctuarium Domini cupimus illibatum Auctore Domino persequi, ac simul quantum in Nobis est cavere ne resignationes ipsæ dehinc pro cuiusque arbitrio nullisq; vel certè levibus causis passim, & temerè admittantur, prohibitionem, & alia prædicta, ac cætera omnia nostris super his litteris contenta eatenus relaxamus, ut post hæc
- §. 3. Episcopi, & alii facultatem habentes eorum dumtaxat resignationes recipere, & admittere possint, qui aut senio confecti, aut valetudinarii, aut corpore impediti, vel vitiiati, aut crimini obnoxii, censurisq; Ecclesiasticis irretiti, aut nequeant, aut non debent Ecclesiæ, vel Beneficio inservire: seu qui unum aliud, vel plura Beneficia obtinuerint, vel quos ad aliud contigerit promoveri: Religionem quoque ingressuri, vel matrimonium contracturi, si statim postea id re ipsa exequantur. Denique cum quis ex aliis casibus acciderit, qui Constitutione fel. rec. Innocentii Papæ III. de dimittendis Cathedralibus Ecclesiis edita continentur. Qui etiam ob capitales inimicitias nequeant, vel non audent in loco Beneficii residere securi. Sed nec horum ullus Sacro Ordini mancipatus, nisi Religionem ingressurus, valeat ullo modo Beneficium, vel Officium Ecclesiasticum resignare, nisi aliundè ei sit, quo in vita possit commodè sustentari. Ad hæc Beneficiorum, & Officiorum permutationes admittere, quæ Canonicis Sanctionibus, & Apostolicis Constitutionibus permittuntur.
- §. 4. Caveant autem Episcopi, & alii prædicti, itemque omnes Electores, Præsentes, & Patroni, tam Ecclesiastici, quàm Laici quicumque sint, ne verbo quidem, aut nutu, vel signo, futuri in hujusmodi Beneficiis, & Officiis Successores, ab ipsis resignantibus, aut aliis eorum significatione, vel hortatu designentur, aut de his assumendis promissio inter eos, vel etiam intentio qualiscumque intercedat.
- §. 5. Cæterum præcipimus, atque interdiciamus, ne ipsi Episcopi, aut alii Collatores,

res, de Beneficiis, & Officiis resignandis prædictis, aut suis, aut dimittentium consanguineis, affinibus, vel familiaribus etiam per fallacem circuitum multiplicatarum in extraneos collationum audeant providere, quod si secus, ac etiam quicquid præter, vel contra formam prædictorum fuerit à quocumque temerè attentatum, id totum ex nunc vires, & effectum decernimus non habere.

§. 6. Qui verò contrafecerint, ut in eo quo deliquerint puniantur, à Beneficiorum, & Officiorum collatione, necnon electione, præsentatione, confirmatione, & institutione, prout cuique competierit, tamdiu suspensi remaneant, donec remissionem à Romano Pontifice meruerint obtinere, & qui talia Beneficia, seu Officia receperint, eos prædictis pœnis volumus subiacere. Et nihilominus in eos, qui sic suspensi conferre, eligere, præsentare, confirmare, vel instituere ausi fuerint, excommunicationis quoad personas, quo verò ad Capitula, & Conventus à divinis suspensionis sententias ipso facto promulgamus, quibus etiam nullus alius, quàm ipse Romanus Pontifex, sive absolutionis, sive relaxationis gratiam (excepto mortis articulo) valeat impertire. Prohibitione, & litteris nostris prædictis nihilominus in cæteris omnibus perpetuò valituris.

§. 7. Non obstantibus &c. (*& sequitur amplissima contrarius derogatio.*)
Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1568. Kal. Aprilis Pontificatus nostri anno tertio. *Bull. gr. tom. 2. pag. 253.*

ADNOTATIONES.

1. **SENIO CONFECTI.** Communis sententia est, quod ut quis dicatur senex relinquatur arbitrio Judicis qui inspecta qualitate personarum, Resignantem senio confectum esse ad hunc effectum judicabit eum, qui in ætate quinquaginta annorum reperitur: Nam hic dicitur senex, & de facili moriturus, & ideo potest examinari ad perpetuam rei memoriam, tamquam testis alicujus rei gestæ, quia periculum est in mora, ut dicit Alciat. *de præsumpt. præsumpt. 53. num. 2. Menoch. de arbitr. Judic. cas. 59. num. 3.* Regulariter tamen senex dici solet; qui annum sexagesimum attingit.

2. **AUT VALETUDINARI.** Ita pariter ut quis dicatur infirmus, seu valetudinarius, relinquatur arbitrio Ordinarii resignationem admittere debentis, eos enim judicabit valetudinarios, qui malo corporis habitu, & affectu sæpè male valent, & frequenter ægrotant, Menoch. *de arbitr. Judic. cas. 60. n. 5. & sequitur Paris. de resign. lib. 5. quæst. 6. n. 12. & 13.*

3. **AUT CORPORE IMPEDITI.** Puta si resignans esset leprosus, vel scabie Herculeæ lepræ affini percussus, vel paralyticus, Apoplexiæ obnoxius, vel morbo comitiali; si esset lunaticus, si haberet morbum Gallicum, manus tremulas, chiragram, vel podagram continuam, vel frequentem vel demum aliud simile corporis impedimentum, cujus causa non valeat oneri sibi injuncto satisfacere, & de quo in actis constare prius faciat, Paris. *ubi supra n. 16. & seqq. usque ad n. 33.*

4. **VEL VITIATI.** Corpore vitiati dicuntur cæci, claudi, habentes pedem fractum cum deformitate, manum mutilatam, gibbosi, aut diminuti parte corporis notabili, aut habentes in facie aliquam turpitudinem, quæ deformem resignantem reddat, Paris. *loco cit. à nu. 33. ad 56.*

5. **AUT CRIMINIOBNOXII.** Puta si resignans esset Homicida, Simoniacus, Adulter, Concubinaris, sustinens excommunicationem per annum, perjurus, vel tertia vice blasphemus, Paris. *d. loco à num. 59. ad 66.*

6. **CENSURIS QUE ECCLESIASTICIS IRRETITI.** Hic comprehenduntur excommunicati excommunicatione majori à jure, vel ab homine, suspensi, ac interdicti: hi etenim cum in Divinis non valeant inservire, nec ministrare, facilius admittuntur ad cessionem Beneficiorum, quam alii, *Parif. quest. 6. à n. 70. ad 85.*

7. **AUT NEQUEUNT, AVT NON DEBENT ECCLESIAE INSERVIRE.** Primi capitis exempla (præter jam dicta) sunt, in Clerico bannito, Dæmoniaco, muto, irregulari. Secundi capitis exempla possunt esse in Clericis turpiter, & scandalosè viventibus, parientibus languorem, qui generant scandalum, vel stomachum provocant, illiteratis, & imperitis, aut habentibus morbum caducum, *Parif. d. qu. 6. à n. 101. ad 107.*

8. **SEV QVI VNVM ALIVD, VEL PLVRA BENEFICIA OBTINVERINT.** Dummodo Beneficium, quod resignans retinet, sit sufficiens ad propriam sustentationem, super quo prudens Ordinarius considerata qualitate personæ circa nobilitatem, circa merita doctrinæ, ac probitatis, item ad qualitatem regionis judicabit, *Parif. dict. quest. 6. à n. 108. 146. ad nu. 156.*

9. **VEL QVOS AD ALIVD CONTIGERIT PROMOVERI.** Hoc videtur intelligi de incompatibili, nam tunc renunciatio coram Ordinario fit ex necessitate, cum de jure per affectationem secundi vacet primum, *C. de multa de Præbend. Parif. dicta quest. 6. n. 157.*

10. **RELIGIONEM QVOQUE INGRESSURI, VEL MATRIMONIUM CONTRACTURI.** Non poterit Ordinarius Beneficia resignata ab his, aliis conferre, nisi postquam verè sequutum fuerit matrimonium, vel facta professione; non enim sufficerent sponsalia vel ingressus in Religionem ut observat *Parif. dicta quest. 6. n. 166. & 167.*

11. **DENIQVE &c.** Scilicet in casibus in quibus expressum est Episcopos posse resignare Episcopatus, juxta dispositionem *Text. in cap. nisi cum pridem de renum.* nam ex eisdem potest fieri renuncia-

tio Beneficiorum coram Ordinariis, ut hic Bulla disponit. Causæ autem *in d. cap. expressæ sunt sex*, scilicet, *conscientia criminis, debilitas corporis, defectus scientiæ, malitia plebis, scandalum, personæ irregularitas.*

12. **QUI ETIAM OB CAPITALLES INIMICITIAS &c.** In hujusmodi renunciatione Ordinarius advertere debet, quod non omnis inimicitia est causa sufficiens, sed debet esse capitalis, ut expressè ex Textu Constitutionis habetur; ad quod judicandum arbitrium ipse habet, *Menoch. de arbitr. judic. cas. 110. num. 3.* Cætera jam notavi ad Form. Renunciationis Parochialis.

13. **CÆTERUM PRÆCIPIMUS &c.** Sub censura hujus §. non comprehenduntur Beneficia Jurispatronatus, ut dixi in Adnot. ad Form. collationis Beneficii simplicis: Quia in his Ordinarius non confert ex voluntate, sed præsentatum à Patrono, qui habet liberam potestatem, quem maluerit nominandi capacem, instituere cogitur à jure, ut probant autoritates ibidem allegatæ, quibus adde *Nicol. lucubrat. can. lib. 1. tit. 9. de renunc. pot. n. 9. vers. quod tamen.*

14. Et quia hic agimus de Beneficiorum collatione: non incongruè per modum supplementi ad ea, quæ adnotata sunt *in tit. de Collat. & rest. Benefic. addere*, memoria suggerit, sequentia.

15. Primum, quod Dignitas Archidiaconatus potest conferri non habenti lauream Doctoralem, non obstante Concilii Tridentini dispositione *in cap. 12. sess. 24.* quia Concilii Decretum habet in illis Cathedralibus, in quibus Archidiaconus exercet jurisdictionem, vel Curam Animarum habet, ut respondit *Rot. coram Coccin. decis. 1902. num. 26. Sac. Congreg. Concilii apud Nicol. in fosc. verb. Archidiaconis nu. 5. & in Sabinen. 2. Jumi 1696. in responsione ad quartum.*

16. Quod est verum, etiam si per Synodum Diocesanam statuatur, quod quis nisi sit graduatus, vel laureatus, non possit Dignitates obtinere, ut declaravit *Sac. Congregat. Concilii supra dictum cap. 12. sess. 24.* Immo etiam in litteris Apostolicis provisionis fuerit appositum

De-

Decretum lauream suscipiendi, adhuc provisus non tenetur lauream Doctoralem suscipere, quamvis Archidiaconus sit prima Dignitas, sic respondit, & declaravit eadem Concilii Congreg. in *Lavelen. 11. Januarii 1697. san. mem. Innocentio XII. approbante.*

17. Secundò, quòd Canonicatus Collegiatarum etiam insignium de jure communi conferri possunt Clericis ætatis 14. annorum, quia quoad hos Concilium nihil innovavit, ut communiter notant *Tondur. quæst. Benef. tom. 1. par. 2. cap. 3. §. 12. n. 1. & 2. Piafec. prax. par. 2. cap. 5. art. 3. n. 34. Pirhing. in jus can. lib. 1. tit. 14. §. 2. n. 12.* Undè nisi Statuto Ecclesiæ, vel Consuetudine aliud determinetur, hi non tenentur assumere Ordines Sacros, prout declaravit *Sac. Congreg. Concilii in Romana pro Collegiata Sanctæ Mariæ in Cosmudin. 22. Decembr. 1691.*

18. Tertio, quos Collatio Beneficiorum debita certo generi personarum, puta filiis patrimonialibus, dicitur libera, ut ait *Gonzal. ad Regul. 8. Cancell. gloss. 45. nu. 19.* & concurrentibus requisitis, Clerici patrimoniales, seu originarii talis Patriæ, Civitatis, Oppidi, vel Parochiæ, non possunt excludi ab institutione, participatione, aut aggregatione, sed necessariò admittendi, *Vivian. de Jurepatr. lib. 1. cap. 1. num. 103. & 104. Sac. Congreg. Episcop. in Andrien. 28. Februarii 1697. referente clar. mem. Card. Petruccio.*

19. Quarto, quòd in Collatione Præbendæ Theologalis Episcopus adversus Decreta Concilii circa qualitatem, & idoneitatem personæ non potest dispensare; sed si non reperitur persona qualificata recurrere oportet ad Papam, etiamsi Canonicatus, & Præbenda non essent reservati, aliàs provisio erit nulla, ut firmat *Corrad. in prax. Benefic. lib. 2. cap. 5. num. 9. & 10.* & interim donec collatio suspenditur, Theologus Regularis erit deputandus, qui supplere valeat, si sæcularis idoneus non adsit, prout voluerunt *Pius V. & Gregor. XIII. & declaravit Sac. Congreg. Concilii suprad. cap. 1. sess. 5. de Reform. apud Gallemart. Corrad. ibi num. 7.*

20. Quintò, quòd autoritas Beneficia conferendi dari non potest ab Episcopo, nisi suo Vicario Generali, quæ detur non transit in Vicarium Successorem, sine nova commissione, *Fagnan. in cap. Præsentatu n. 14. & 15. de Testib.*

21. Sextò, quòd Vicarius Capitularis non confert Beneficia vacantia. Sed horum omnium collatio Sede Episcopali vacante spectat ad Papam vigore Constitutionis Pii Quinti, quæ incipit *Sandissimus in Christo Pater Bullar. tom. 2. Constitut. 56.* qua Sedi Apostolicæ reservavit omnia Beneficia, quomodocumque, & quomodolibet vacantia, Episcopali Sede viduata Pastore: quòd notat etiam *Torrada. in prax. Benefic. lib. 3. cap. 6. nu. 1. & 50.* (nisi certo generi personarum ex lege foundationis deberentur.) Et hinc est, quòd provisione Ecclesiarum Parochialium Capituli Vicarius non habet prælectionem magis digni, sed Acta Concurrentis transmittit ad Urbem pro instructione Papæ Datarii, qui unum ex approbatis, quem judicat digniorem, designat, & providet; & ita hodiè servat praxis Dataria.

22. Septimò, quòd Episcopus in fundatione, & erectione Beneficiorum tam jurispatronatus, quàm liberorum non potest pro præstatione consensus, sibi, & Successoribus censum, seu recognitionem annuam reservare: Quia cum ratione sui officii teneatur consensus fundationi etiam cum reservatione jurispatronatus præstare: ne Laici retrahantur à fundationibus, hujusmodi reservatio, quæ Simoniam saperet, a jure prohibita reperitur, *cap. in tantum de Simon. & cap. Prætereà de transact. Barbof. in cap. quoniam num. 3. ne Prælat. vic. suas, &c.* immò quòd nec pro unica, & prima vice aliquid exigere debeat, declaravit *Sac. Congregat. Episcop. in Vicen. de anno 1602.* quàm referunt *Barbof. decis. Apostol. collect. 291. num. 4. & Fagnan. in cap. in ordinando num. 32. de Simon. & prohibetur quoque à Taxa Innocentiana.* In fundatione autem Ecclesiæ, si quid spontè offeratur intuitu devotione, & honoris Episcopalis, posset recipi, & reservari, ut interpretando *Text. in cap. Eleu-*
the-

Iberius 18. qu. 2. tradit Turrecrem. his verbis—convenisse (Episcopo non petente, & ipsa idest Fundatrice) sponte offerente non pro consecratione, quia esset Simonia, sed intuitu devotionis, & honoris Episcopalis, & hoc licite potuit fieri.

Greg. XIII. Constit. XXVIII.

Revocatoria Indulgentiarum ingrediendi Clausuram Monialium.

SUMMARIUM.

1 Episcopus in ingressu Clausurae à paucis, & senioribus personis debet associari.

2 Regulares in Visitatione Monasteriorum Monialium eis subiectorum servare debent Constitut. Alex. VII. 153.

3 Mansiones Confessariorum Monialium exemptarum, debent esse separate à Monasterio.

Regulares non observante Constitut. Alex. VII. 153. possunt ab Episcopo tanquam Delegato Apostolico puniri, ibid.

GREGORIUS EPISCOPUS, &c.

Ubi Gratia, & Indulta ab hac Sede concessa successu temporis incommodum afferre noscuntur, expedit illa salubri presidentis consilio submoveri.

§. 1. Proinde Sanctimonialium quies, & tranquillitati consulere, ac omnia, quae illas à spiritualium rerum cogitatione, & exercitio avocant, impedimenta tollere, periculaque, & scandala ab eis removere cupientes, auctoritate praesentium revocamus, & abolemus omnes, & quascumque licentias, ac facultates ingrediendi Monasteria, Domos, & loca Monialium, ac etiam Virorum quorumvis Ordinum, quibusvis etiam Comitissis, Marchionissis, Ducissis, & aliis cuiuscunque status, & conditionis Mulieribus, ac etiam omnes, & quascumque licentias ingrediendi Monasteria, Domos, & loca ipsarum Sanctimonialium, quibuscumque Viris, etiam ejusdem status, & dignitatis tam à Praedecessoribus nostris, quam etiam à Nobis, & Sedis Apostolicae Legatis, aut aliis ex quibusvis quantumcumque urgentibus causis sub quibuscumque tenoribus, & etiam derogatoriis derogatoriis, revocatorum restitutoris, aliisque efficacioribus clausulis irritantibusque, & aliis Decretis, etiam motu proprio, & excerpta scientia, deque Apostolicae potestatis plenitudine, atque ad Imperatoris, Regum, Reginarum aliorumve Principum contemplationem, vel supplicationem concessas, confirmatas ac etiam iteratis vicibus renovatas. Cassamusque, & annullamus litteras desuper confectas, & processus habitos per easdem.

§. 2. Inhibentes eisdem, qui illas obtinuerunt, sub excommunicationis poena ipso facto incurrenda, super qua à nemine, nisi à Romano Pontifice (praeterquam in mortis articulo) absolutionis Beneficium possit impertiri, ne ipsarum licentiarum praetextu Monasteria hujusmodi quovis modo ingredi audeant.

§. 3. Abbatissis verò, necnon Abbatibus, Conventibus, ac aliis Monasteriorum utriusque sexus Superioribus, & personis quocumque nomine vocentur districtè praecipimus sub eadem excommunicationis poena, necnon priva-

tio-

tionis Dignitatum, Beneficiorum, & Officiorum suorum, ac inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinenda, ne in Monasteria, Domos, & loca sua, quemquam prætextu huiusmodi licentiarum, & facultatum ingredi faciant, vel permittant.

§. 4. Quin etiam sub eisdem pœnis ipso facto incurrendis prohibemus, atque interdiciamus omnibus, & quibuscumque personis Ecclesiasticis, & sæcularibus, ac etiam Ordinum quorumcumque etiam Mendicantium Regularibus, ne prætextu licentiarum ab Episcopis, vel Superioribus, quibus illas concedendi in casibus necessariis tantum ex Concilio Tridentino tribuitur, ne Monasteria ipsa Monialium pro libito, sed necessitatibus urgentibus dumtaxat ingredi, neve Moniales sub eisdem pœnis illos aliter admittere præsumant.

§. 5. (*Et sequitur clausula derogatoria.*)

Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1574. idibus Junii Anno quarto, *Bullar. tom. 2. pag. 393.*

Sequitur declaratio d. Constitutionis.

Dubiis, quæ emergunt, declarationis remedium expedit adhibere. Cum igitur super eo, quod optima primùm ratione Concilium sanxit Tridentinum, deindè in Constitutione fel. rec. Pii Papæ V. Prædecessoris nostri nonis Julii Pontificatus sui anno tertio, atque item nostræ idibus Junii Pontificatus nostri anno quarto editis, fuit provisum, ne cui in posterum, nisi in casibus necessariis, septa Monasteriorum Monialium ingrediendi concederetur licentia, à nonnullis dubitatum fuisse sciamus circa personas, quæ alterius ad id licentia non indigent, sed sui auctoritate officii nituntur, an liceat eis pro libito suæ voluntatis huiusmodi septa ingredi, vel potius servare debeant ipsi quoque regulam à Concilio præscriptam.

§. 1. Nos omnem hæsitandi materiam tollere, & viam scandalis præcidere, ac Sanctimonialium quieti consulere volentes, harum tenore auctoritate Apostolica declaramus, Prælatos omnes tam sæculares, quàm Regulares, quibus cura, & regimen Monasteriorum Monialium quovis modo incumbit, facultate sibi ex officio attributa ingrediendi Monasteria prædicta ita demum uti posse, si id faciant in casibus necessariis, & à paucis, iisque senioribus, ac Religiosis personis comitati. Quocirca universos, & singulos, Episcopali, seu majori, ac etiam Cardinalatus dignitate præditos, necnon quorumvis Ordinum, Abbates, Priores, Ministros, & alios quoscumque Superiores Regulares serio monemus, ut facultate huiusmodi, qui eam habent, præterquam in casibus, ut præfertur necessariis, nequiquam utantur.

§. 2. Quod si contrafecerint, eadem auctoritate Apostolica statuimus, atque discernimus, qui Pontificalis Dignitatis fuerint eos pro prima vice, qua contrafecerint, ingressu Ecclesiæ interdictos, pro secunda à munere Pontificali, & à divinis suspensos, ac deinceps ipso facto absque alia declaratione excommunicatos existere, Regulares verò omni officio, ac ministerio privatos excommunicationi similiter subjacere.

§. 3. (*Sequitur derogatio contrariorum.*)

Datum Romæ apud S. Petrum 23. Decembris 1581. anno decimo.

A D.

ADNOTATIONES.

ET A PAUCIS IISQUE SENIORIBUS, AC RELIGIOSIS PERSONIS, &c. Non est ab Episcopis parvipendenda Pontificis admonitio his verbis concepta, prout nonnulli faciunt, permittentem ingressum tempore Visitationis personis non senibus, neque necessariis, sed ut curiositatem, quam habent septa Monialium invisendi, adimpleant: Nam in iis non verificatur necessitas ingressus, quam requirunt Concil. Trident. & nostra Constitutio ad evadendam excommunicationem latæ sententiæ; & sic caveant Episcopi, ne sint in hoc indulgentes: At sequantur consilium Episcopi Recte in Director. Visit. par. 1. cap. 89. ubi de duobus Convicatoribus probatæ vitæ, Confessarii Monialium, & Cancellarii est contentus: Illud enim possumus, quod justè, vel honestè facimus, c. Facit homo, ubi glos. 22. q. 2.

2. Præter hanc Constitutionem, adest altera Alexandri Septimi, quæ incipit Felici in Bullar. 10. 6. Constit. 153. in qua præscribitur modus Superioribus Regularibus quo debent, & possint Claufuram Monialium ipsis subjectarum ingredi: Hoc est semel tantum in anno occasione Visitationis, unico socio, (nisi sit Generalis, cui duo conceduntur,) sine refectione, & cum assistentia quatuor Monialium ex senioribus: Extra verò Visitationem, si aliqua urgens causa exposcat Superiorum ingressum, non nisi cum præsentia Episcopi, vel alterius personæ Ecclesiasticæ Sæcularis probatæ vitæ ab eodem deputatæ id efficere non valeant.

3. In hac eadem Bulla præcipitur, quod Mansiones Confessariorum earundem Monialium exemptarum sint omninò, & penitus disjunctæ à Monasteriis non solum per parietes, sed etiam per tecta, distantia ab Episcopo recognoscenda, & ap-

probanda, si Monasteria Virorum, quibus Moniales subsunt, longè distent à Monasteriis Monialium: Quando enim ambo sunt in eadem Civitate, vel Oppido, Confessarii revocandi sunt ad proprium Conventum, ut in §. 6. d. Bullæ disponitur, & quatenus Regulares Constitutionem hanc non servant, poterit Episcopus, tanquam Delegatus Apostolicus, contra illos animadvertere ut ibidem statutum legitur.

Gregorii XIV. Constit. VII.

De Immunitate Ecclesiarum.

SUMMARIUM.

- 1 Qui dicantur publici Latrones.
- 2 Qui Grassatores, & n. 3.
- 4 Qui Depopulatores Agrorum.
- 5 Qui mutilantes membra in Ecclesia, vel homicidium patrantes.
- 6 Qui Proditores, & num. 7.
- 8 Qui Assassini.
- 9 Hæretici, & blasphemantes hereticiter non gaudent immunitate.
- 10 Neque rei criminis læsæ Majestatis.
- 11 Bulla Gregor. XIV. non extenditur ad casus non expressos quantumvis similes.
- 12 An Ecclesia gaudeat immunitate, si adhuc ibidem divina non fuerint celebrata, referuntur DD. sententiæ.
- 13 Sententia contumaciæ non privat delinquentem immunitate.
- 14 Consuetudo extrahendi ab Ecclesiis delinquentes sine licentia Episcopi non excusat ab incurso Censurarum.
- 15 Hebræi in casibus non exceptis gaudent immunitate, sicuti etiam sclavi, seu servi infideles.
- 16 Mater suffocans filium infantem, & Uxor Maritum dormientem non gaudent immunitate.

GREGORIUS EPISCOPUS &c.

CUM aliàs nonnulli Prædecessores nostri, & præsertim fel. rec. Sixtus Papa V. necnon Pius etiam Quintus, sancto zelo ducti diversas facultates, & indulta extrahendi etiam in casibus quibusdam à jure non permixtis ex Ecclesiis criminosos, & delinquentes, compluribus Sæcularibus Principibus, eorumque

Cu-

Curis, & Magistratibus, sub variis modis, & formis concefferint, prout in illis plenius continetur.

- §. 1. Experientia postmodum docuit tum ob diversitatem, & differentiam hujusmodi indultorum, tum quia plerique eorundem Principum Ministri ex ipsa illa diversimodè, etiam latius quàm par erat, & ad suum libitum interpretandi occasionem arripuerunt, illisque abuti cœperunt, subortam esse non mediocrem in aliquibus locis libertatis, & immunitatis Ecclesiasticæ perturbationem, & confusionem; alibi verò ne ipsos quidem Laicos Indultis hujusmodi uti voluisse, aut potuisse, quod populis, inveterata erga Ecclesias reverentia, devotis, & assuetis, scandali potius quàm quietis occasionem præberent. Illud etiam absurdum sæpè numero secutum est, ut infimæ interdum conditionis Laici, non modò juris, sed etiam litterarum penitus ignari, & imperiti, dum quasi potestates, aut Ministri Curie Sæcularis in aliquo Castro, aut Oppidulo jurisdictionem exercebant, facultatum, & indultorum hujusmodi limites longè excefferint, eaque suo arbitratu in sensus minùs rectos, & ab intentione concedentis omninò alienos detorsert, & illorum prætextu quicquid sibi in mentem venit attentare præsumperint, in grave jurisdictionis, & immunitatis Ecclesiasticæ præjudicium, locorum, & personarum Divino cultui dicatarum contemptum, ipsius Divinæ Majestatis offensam, & scandalum plurimorum. Quare pro commisso Nobis à Domino Pastoralis officii munere, prædictis absurdis, & scandalis obviare, ac differentias hujusmodi ad uniformem regulam reducere, omnemque dubitandi, ac perperam interpretandi occasionem dilucida declaratione submovere, abusus tollere, & ne Ecclesiastica jura planè conculcentur, & negligantur, opportunè providere decrevimus, prout etiam dictus Sixtus Prædecessor noster iisdem de causis motus statuere decreverat, licèt morte præventus hoc adimplere nequiverit, ita tamen ut quando præsens temporum calamitas, & nimia, quæ jam invaluit, perverforum hominum malitia id exposcit, aliquid etiam ad terrorem delinquentium, & ad coercenda illorum facinora, ultra id quod prisca illa majorum nostrorum disciplina, & vetus Sacrorum Canonum norma præscriperat in quibusdam casibus, congrua moderatione adhibita, permittamus.
- §. 2. Hac itaque nostra perpetuò valitura Constitutione omnia, & quæcumque privilegia, Indulta, & gratias, tam per prædictum Sixtum, ac Pium Quintum, quàm alios quoscumque nostros Prædecessores, aut nosmetipsos, Sedemque Apostolicam, ejusve Legatos, super abducendis, vel extrahendis ab Ecclesiis, Monasteriis, Sacellis, Domibus Regularibus, & Sæcularibus, locisve sacris, aut Religiosis, aliasque in casibus à jure permissis, Hominibus certorum tunc expressorum, vel non expressorum criminum reis, aut fraudolentibus decoctoribus etiam in odium certorum delictorum, & pro bono, pace, & quiete publica, & ex causis urgentissimis, ac necessariis, & æquipollentibus casibus in jure expressis, atque ex paritate, identitate, aut majoritate rationis extensis perpetuò, vel ad certum nondum elapsum tempus, seù ad vitam alicujus Principis, vel Beneplacitum, seù aliàs quomodolibet concessa, etiam iteratis, aut multiplicatis vicibus approbata, in novata ac usu recepto, litterasque Apostolicas sub plumbo, aut in forma Brevis, seù aliàs quomodocumque desuper confectas, quarum tenores hic haberi volumus pro expressis, ac ad verbum

infertis, sublata penitus omni differentia, ita ad unam tantum formam reducimus, & moderamus.

§. 3. Ut Laicis, ad Ecclesias, locaque sacra, & Religiosa prædicta confugientibus, si fuerint publici Latrones, viarumque Grassatores, qui itinera frequentata, vel publicas stratas obsident, ac viatores ex insidiis aggrediuntur, aut depopulatores agrorum, qui vè homicidia, & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis, earumvè Cæmeteriis committere non verentur, aut qui proditoriè proximum suum occiderint, aut Assassini, vel hæresis, aut læsæ Majestatis in personam ipsiusmet Principis rei, immunitas Ecclesiastica non suffragetur. Sed univèrsis, & singulis Venerab. Fratr. nostris Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, cæterisque Ecclesiarum, & Monasteriorum Prælatibus tam Sæcularibus, quàm cujusvis Ordinis Regularibus, districte præcipiendo mandamus, & præcipimus, ut Laicos in casibus prædictis delinquentes ad eorum Ecclesias, Monasteria, Domos, & alia loca supradicta sacra, seu Religiosa respectivè confugientes, & in eis se recipientes, atque morantes, qui prædicta delicta, eorumvè aliquod, iudicio suo commississe videbuntur, quando à Curia Sæculari fuerint requisiti, & quilibet eorum fuerit requisitus, Ministris, & Officialibus Curie Sæcularis absque irregularitatis nota, aut alicujus Censuræ Ecclesiasticæ incurfu tradi, & consignari curent, & faciant, & quilibet eorum curet, & faciat.

§. 4. Ne autem Curia Sæcularis prædicta Ministri facultate illos per se, & propria auctoritate extrahendi, & abducendi sibi olim, ut præfertur, attributa, & per præfentes revocata, abutantur, volumus, dictaque auctoritate decernimus, & declaramus, ut Curia Sæcularis, ejusque Judices, & Officiales, ab Ecclesiis, Monasteriis, locisque sacris prædictis, Laicum aliquem, ut præfertur, delinquentem in nullo ex casibus supradictis sine expressa licentia Episcopi, vel ejus Officialis, & cum interventu personæ Ecclesiasticæ ab eo auctoritatem habentis, ad quos solos, & non alios, Episcopis inferiores, etiamsi alii Ordinarii sint, nullius Diocesis, aut Conservatores ab hac Sede specialiter, vel generaliter deputati prædictam licentiam dandi facultas pertineat. Occurrente autem casu in loco exempto, & nullius Diocesis, tunc ad Episcopum viciniorum devolvatur hæc cognitio, & non ad alios; capere, extrahere, aut incarcerare non possint, nisi eo casu, quo ipse Episcopus, & dictæ personæ Ecclesiasticæ requisitæ illos in delictis superius expressis culpabiles, tradere, aut capturæ, & incarcerationi intervenire, & assistere recusaverint. Tuncque reverentiæ Ecclesiæ, & locis sacris debitæ memores, prædictos delinquentes, minori quo id fieri poterit cum scandalo, & tumultu extrahere curent.

§. 5. Quodque delinquentes Laici prædicti postquam, ut præfertur, ab Ecclesiis, locisque sacris extracti, & capti fuerint, ad carceres Curie Ecclesiasticæ reponi, & inibi sub tuto, & firmo carcere, ac opportuna custodia, data illis, si opus fuerit, per Curiam Sæcularem, detineri debeant, nec inde extrahi, Curieque Sæculari prædictæ consignari, nec tradi possint, nisi cognito prius per Episcopum, seu ab eo deputatum, an ipsi verè crimina superius expressa commiserint. Tuncque demùm de mandato Episcopi per Judicem Ecclesiasticum Curie Sæculari, quacumque appellatione postposita consignentur.

§. 6. De crimine verò hæresis cognitio ad Forum Ecclesiasticum tota pertineat, neque in ea Curia Sæcularis quoquomodo se intromittat.

7. Sicuti etiam prohibemus, ne contra Ecclesiasticas personas, Sæculares, aut cujusvis Ordinis, vel Militiæ etiam Sancti Joannis Hierosolymitani Regulares, quoquomodo etiam vigore prædictorum privilegiorum, indultorum, aut concessionum, quæ omnia ad terminos juris per præsentem reducimus, procedant, aut se intromittant, illasvè ab Ecclesiis, Monasteriis, Domibus, locisque sacris, aut Religiosis, etiam in casibus in hac constitutione expressis, extrahere, abducere, capere, carcerare, aut cognoscere de criminibus ad Forum Ecclesiasticum pertinentibus, aliàs quàm de jure, & per privilegia eisdem Ordinibus, aut Militiis concessa permittitur, quomodolibet præsumant.
- §. 8. Quod si quis quacumque dignitate, & auctoritate præditus, præmissorum, aut alio quovis prætextu quicquam præter, aut contra hujus nostræ constitutionis tenorem attentare præsumperit, declaramus eum ipso facto censuras, & pœnas easdem incurrere, quæ contra libertatis, & immunitatis Ecclesiasticæ violatores per Sacros Canones, & Conciliorum generalium, nostrumque Prædecessorum constitutiones sunt promulgatæ.
- §. 9. Sicque per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, & S.R.E. Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, in quavis causa, & instantia, judicari, & diffiniri debere, necnon irritum decernimus, & inane, si secus super his per quoscumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.
- §. 10. Non obstantibus præmissis tam Sixti, & Pii V. quàm aliorum quorumcumque Prædecessorum nostrorum litteris Apostolicis, privilegiis, indultis, & facultatibus quibusvis personis etiam Imperiali, Regia, Ducali, aut alia quavis dignitate, & auctoritate fulgentibus, aut Rebuspublicis, Dominiis, Regnis, Provinciis, Civitatibus, Terris, & Locis, eorumvè Curis, Parliamentis, Senatibus, Consiliis, Communitatibus, Universitatibus, Collegiis, aut Præsidentibus, Proregibus, Gubernatoribus, Locatenentibus, Vicariis, Potestatibus, aliisque Magistratibus, Officialibus, Ministris, aut Consiliariis, ex prædictis, vel aliis etiam gravioribus, & urgentioribus causis; tam illorum intuitu, & contemplatione, sive ad eorum preces, & instantiam, quàm etiam Motu proprio, & ex certa scientia, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, ac per modum statuti, & legis perpetuæ, etiam in vim contractus, & Fratrum nostrorum consilio, sub quibuscumque tenoribus, & formis, & cum quibusvis præservativis, restrictivis, mentis attestativis, derogatoriis derogatoriis, aliisque validissimis, efficacissimis, & insolitis clausulis, necnon irritantibus, & aliis Decretis, etiam si inibi caveatur expressè, quod illis, nisi sub certis modis, & formis, & nisi de eorum expresso consensu ad quorum favorem concessæ fuerint, derogari possit, & aliter factæ derogationes nullius sint roboris, vel momenti, & aliàs quomodolibet concessis, etiam sæpius approbatis, & innovatis. Quæ omnia, & singula, ac illorum tenores pro expressis habentes, quatenus præmissis in aliquo adversentur, aut plures quàm superius expressos casus contineat, auctoritate, & tenore præmissis omninò, ac perpetuò tollimus & abrogamus, ac ad terminos præsentis constitutionis, quoad superius descripta dumtaxat reducimus: Et nolumus cuiquam de cætero suffragari, & qualibet alia dictæ Sedis indulgentia generali, vel speciali, per quæ præsentibus non

expressa, vel ad verbum non inserta, effectus earum quomodolibet valeat impediri (& sequitur publicatio.)
Datum Romæ in Monte Quirinali Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo nonagesimo primo, nono Kal. Junii, Pontificatus nostri Anno primo. Bullar. tom. 2. pag. 694.

ADNOTATIONES.

I SI FUERINT PUBLICI LATRONES. Publici Latrones, qui vigore unius ex casibus hic exceptis immunitate non gaudent, dicuntur hi, qui ferro, vel fustibus insidiosè in viis publicis frequentatis viatores aggrediuntur, & furantur, etiam absque hominis neccatione, Ambrosin. de Immunit. Eccles. c. 2. num. 4. & 5.

2. Grassatores verò dicuntur hi, qui vias obsident, ut spolient itinerantes, & armis renitentes occidunt. Differunt à Latronibus in eo, quod hi dicuntur, qui viatores foris obsident, illi qui in Urbe, Ambrosin. ubi supra cap. 3. numer. 8.

3. Ut autem Grassator indignus efficiatur Ecclesiastica immunitate, opus est, quod pluries tanti sceleris fuerit reus in viis frequentatis, Guazzin. ad defensor. reor. def. 1. cap. 38. num. 36. Nicol. lucubr. Civil. lib. 1. tit. 8. de immunit. Eccles. num. 28. vers. Non possunt: Quidquid, sit, an pro unica grassatione ultimo supplicio puniri debeat, de quo articulo vident. Raynald. observat. Crimin. tom. 2. c. 14. num. 74. & 75. ubi num. 66. & 68. ex doctrina Mulcatelli tit. de furt. tenet, quod grassationis crimen de necessè requiratur, quod sit admissum in strata publica cum armis.

4. Depopulatores Agrorum hi dicuntur, qui segetes in Agris deprædantur, & fructus, ac Vineas diripiunt, & vastant ex proposito, sive diurni, sive nocturni sint, Ambrosin. de immunit. Eccles. cap. 4. num. 5. Nicol. loco citato n. 9.

5. Mutilantes membra, vel homicidium patrant in Ecclesiis, dicuntur non solum hi, qui intrà ambitum existentes ibidem delictum committunt, sed etiam alii, qui cum Archibusio, seu aliquo alio armorum genere existentes in Ec-

Monacelli Form. Pars I.

clesia; alium extrà Ecclesiam commorantem, vel existentes extra Ecclesiam, existentem in Ecclesia occiderent, quia in utroque casu delictum in Ecclesia perpetratur, in primo ob principium delicti, in secundo ob effectum, ut probat Ambrosin. de immunit. cap. 5. n. 7. & 8. Dummodò non occidunt provocati, & in rixa, nam tunc gaudent, Sac. Cong. Immunitat. in Algaren. 24. Martii 1637. lib. 3. Decret. Pauluc. fol. 27. à tergo.

6. Proditorii species dicitur quando nullus præcedebat rancor, sed potius simulabatur amicitia, unum scilicet gerens in corde, aliud in verbis, & in actibus unum ostendit, & aliud in mente gerit: Et sic, ut quis proditor dicatur oportet, vel quod fidem datam frangat, vel simulatione insidietur, Ambrosin. ubi supra cap. 6. n. 4.

7. Dicitur etiam proditor, ut immunitate privetur, qui aliquem, cui se tamquam Socium, & Amicum adjunxerat in via, & nulla rixæ causa interveniente occidit, seu qui dolosè sub amicitia colore seducit aliquem, ut occidat Sac. Congreg. Immunit. in una Rbegien. 1602. quam refert Nicol. loco citat. num. 31. Et quod ad proditorii homicidii qualitatem probandam requiratur amicitia præcedens, censuit Sac. Congreg. Immunitat. in una Benevent. 18. Augusti 1637. lib. 3. Decret. Pauluc. fol. 39.

8. Assassini autem dicuntur qui pecunia accepta, vel promissa à mandante, homines Christianos incautos nil tale præcogitantes occidunt. Si enim quis occideret infidelem, non privaretur immunitate, ut dicit Ambrosin. ubi supra cap. 7. num. 12. & seqq. Mandantes quoque sequuto effectu, ut non gaudeant immunitate, & dicantur Assassini, tenet Nicol. ubi supra num. 32. vers. Amplia primo, ubi Decretum Sac. Congregat. Episcop. allegat.

Cc

9. Hæ-

9. Hæretici, sicuti & cæteri mox superius enumerati immunitate Ecclesiastica non gaudent, nec qui blasphemiam hæreticalem profert, ex traditis ab Ambrosin. *cap. 8. n. 8. & 10.*

10. Rei criminis læsæ Majestatis in personam ipsiusmet Principis, Superiorem in temporalibus non recognoscentis, cui delinquentes sint subjecti ratione originis, vel domicilli, ex vi nostræ Constit. immunitate non gaudent, Ambrosin. *c. 9. n. 6. Nicol. ubi supra n. 34.*

11. His breviter notatis, memineris, quod hæc Bulla non extenditur ad alios casus ultrà expressos etiam similes, quia casuum exceptorum expressio fit ibi per modum formæ, cum clausula sublata, quæ omnem extensionem, & interpretationem excludit, Ambrosin. *de Immunit. Eccles. cap. 1. num. 14.* & advertit quoque Guazzin. *d. defens. 1. n. 52.* post enumerationem casuum, qui alias juxtà juris communis, & DD. interpretationem immunitate non gaudent.

12. Secundò, quod Ecclesiæ non consecratæ, sed tantùm auctoritate Episcopi ædificatæ, & dedicatæ, in quibus Divina adhuc Ministeria non sint cœpta celebrari, vel si essent dirutæ Episcopi auctoritate sine spe reædificandi, immunitate non gaudent, Ambrosin. *ubi supra cap. 10. num. 2. & 3.* cui favet Gloss. *in cap. Ecclesiæ de Immun. Eccles.* At contrà Ambrosin. stat opinio Sylvestr. *in verb. loca Religiosa*, ubi indubitanter tenet, quod Ecclesia auctoritate Episcopi constructa, gaudeat immunitate, etiamsi nondùm ibidem fuerit celebratum, quem sequuntur Sanch. *de Matrim. lib. 9. disp. 15. n. 36.* Sperell. *decis. 62. num. 20.* & tu hos sequere si magis placet.

13. Tertiò, quod ad extrahendum delinquentem à loco immuni, & Curia seculari consignandum, non sufficit sententia contumacialis super casu excepto, sed p'erior probatio exigitur, ut declaravit *Sacr. Congregat. Episcoporum in Cremonen. 27. Julii 1618.* his verbis — *Sacra Congregatio declaravit, quod ad extrahendum delinquentem à loco immuni, & Curia seculari consignandum, non sufficit sententia contumacialis, quia non probat deli-*

ctum, sed plenior probatio requiritur.

14. Quartò, quod licet consuetudo quamvis iniqua excuset à pœna temporali, hoc tamen fallit in nostra Bulla, & in extrahentibus à locis immunibus reos absque licentia Episcoporum prætextu consuetudinis, quæ illos non excusat ab incursum pœnæ spiritualis excommunicationis: Cùm sit potiùs pravus abusus, quam consuetudo, improbatum tam de jure Civili in *l. presenti, Cod. de his, qui ad Eccles. conf.* quàm Canonico in *c. Difinit. vit. 17. q. 4. cap. inter alia de Immunit. Eccles.* cum aliis juribus allegatis ab Ambrosin. *de Immunit. Eccles. cap. 15. n. 8.*

15. Quintò, quod Hebræi gaudent privilegio immunitatis Ecclesiasticæ, quia in Bulla non fuerunt exceptuati, prout declaravit *Sacr. Congreg. Immunit. in Sarzanen. 26. Septembr. 1651. lib. 4. Decr. Paul. fol. 160. à tergo.* Et idem dicas de Servo, seu Sclavo Infideli, ut censuit eadem *Sacr. Congreg. in Catacen. 18. Februar. 1631. lib. 2. Decr. Pauluc. fol. 95. à tergo, & in Licien. 13. Julii 1649. lib. 4. Decret. Pauluc. fol. 83.*

16. Sextò, quod Mater suffocans, sive occidens filium infantem non gaudet Ecclesiæ immunitate, *Sacr. Congreg. Concil. 3. Decembris 1632.* quam sententiam approbavit *Sacr. Congregat. Immunitatis in una Pisawren. 19. Novembris 1647. lib. 4. Decret. Pauluc. fol. 33. à tergo*, quia est species homicidii proditorii: Quod procedere declaravit etiam in Uxore, quæ Maritum dormientem occidit, *in Cremonen. 29. Decembr. 1625. in Registr. Script. veter. fol. 77. à tergo.*

17. Septimò, quod ad acquirenda indicia contra reos, permitti non debet, quod Judex Laicus recognoscat libros Parochi, à quibus fuerunt extractæ fides mortis, aliæque similes coram ipso fortè productæ, ut respondit *Sacr. Congregat. Immunit. in una Mediolanen. 15. Januen. 1658. lib. Decr. Rocci fol. 56. à tergo.*

Clementis VIII. Constit. XXVIII.

De largitione munerum .

SUMMARIUM .

- 1 Regulares non possunt retinere superflua, neque licentia Superiorum, & n. 2. & 3.
- 4 Monasteria, in quibus vita perfecte communis non servatur, debent habere, & retinere capsam depositi, & num. 5.
- 6 Novitii comprehenduntur in Constitut. Clem. VIII. de largit. muner.
- 7 Regulares non possunt uti livellis, nisi servata forma Constit. Clem. VIII.
- 8 In Terris infidelium datur indultum Regularibus Mendicantibus Ord. S. Francisci retinendi bona nomine Sedis Apostolicæ.
- 9 Episcopi occasione receptionis habitus, seu Professionis Monialium non pos-

- sunt recipere munera præter comestibilia parvi valoris, & n. 10.
- 11 Religiosi S. Spiritus in Saxia de Urbe vulgo Crociferi licitè administrant fructus Beneficiorum sibi ipsis collatorum, & n. 12. 13. & 14.
 - 15 Pacta, & conditiones, quæ apponuntur in donationibus, & legatis Religiosis factis, & relictis, quod nempe acquirantur Religioso, & non Monasterio, vitiantur.
 - 16 Conventus in receptione Novitii, nihil accipit præter mensuram alimentorum.
 - 17 Religiosi Professi testari non possunt, neque de licentia Superiorum, quamvis ante professionem talem facultatem sibi reservassent.
 - 18 Min. Observantes, & Reformati sunt incapaces legatorum perpetuorum, & Missarum.
 - 19 Episcopi sunt Executores legatorum priorum unà cum Commissariis fabricæ cumulativè, & n. 20. 21. & 22.

CLEMENS EPISCOPOS &c.

Religiosæ Congregationes ab insigni sanctitate viris Spiritus Sancti afflatu institutæ, tantas Ecclesiæ Dei utilitates omni tempore attulerunt, ut ad eas conservandas, & instaurandas, Rom. Pontifices Prædecessores nostri magnam jure optimo diligentiam semper adhibuerint. Nam cum ea sit rerum humanarum conditio, & natura, ut etiam ea, quæ optimè fundata, & constituta sunt, partim hominum imbecillitate, & ad malum proclivitate, partim Dæmonis astutia, paulatim deficient, ac nisi cura pervigili sustententur, in deterius prolabantur. Idcirco Summ. Pontificum vigilantia magnoperè laboravit, ut Regular. Ordinum disciplina, aut labefacta in pristinum restitueretur, aut salutaribus Constit. communita, integra, atque incolumis permaneret. Quorum Nos vestigiis pro eodem officii munere insistere, & Pastoralem illorum sollicitudinem (quantum possumus) divina adjutrice gratia cupimus imitari.

§. 1. Quare ne ex muneribus, quæ à pluribus Religiosæ vitæ professoribus ex Christi patrimonio, quibusvis hominibus quavis ex causa sæpè tribuuntur, gravia incommoda, & mala, etiam boni specie existant, præcavere studentes, hac nostra perpetuò valitura Constitutione, universis, & singulis cujuscumque Ordinis Mendicantium, vel non Mendicantium bona immobilia, & redditus certos ex Indulto Apostolico possidentium, vel non possidentium, seu cujusvis Congreg. Societatis, & instituti (non tamen Militiæ) Regularibus personis utriuslibet sexus omnem, & quamcumque largitionem, & missionem munerum penitus interdiximus.

§. 2. Sub qua prohibitionem comprehendi volumus omnia, & singula Capitula,

C c 2. Con-

Conventus, & Congregationes tam singulorum Conventualium, Monasteriorum, Prioratum, Præpositurarum, Præceptoriarum, Domorum, & Locorum, quàm Provincialia, aut Generalia cujuslibet Provinciæ, sive universi Ordinis, Societatis, aut Instituti, eorumque, vel earum Camerarios, Commiffarios, & quoscumque Officiales, & singulares personas, ipsos etiam Ordinum Congregationum, & Societatum hujusmodi Superiores quascumque Dignitates obtinentes, etiam Generales, & Provinciales, Magistros, Ministros, & quocumque nomine Præfectos, necnon Conventuum, Monasteriorum, Prioratum, præpositurarum, præceptoriarum, Domorum, & Locorum quorumcumque, Abbates, Priores, Præpositos, Præceptores, etiam Majores, Guardianos, Ministros, Rectores, atque Abbatissas, Priorissas, & alio quovis titulo Præsidentes tam ipsis Regularibus, quàm Laicorum Ordinariis, seu quibusvis Superioribus subjectas utriuslibet sexus ad vitam, vel ad tēpus deputatos, ad eorum nemo unquam eorum, vel earum directè, vel indirectè, palam, vel occultè tam communi, quàm particulari, & proprio nomine, etiā sub quovis statuti, vel consuetudinis, seu veriùs corruptele, aut alio prætextu, vel quacūq; causa, nisi in generali capitulo, aut alia gener. Cong. re maturè discussa unanimi consensu omnium, Superiorūq; permisso causa approbata fuerit, quicquā tale attētare valeat.

§ 3. Id autem ita absolutè, & generatim vetitum intelligatur, ut neque omnino fas sit quicquam donare tam ex fructibus, redditibus, & proventibus, collectis, vel contributionibus, aut oblationibus, sive elemosynis, aut subsidiis, certis, vel incertis, ordinariis, seu extraordinariis, Mensæ, seu Massæ communis, vel cujusvis fabricæ, & Sacrificiæ, quorum bona communiter, ut præfertur administrantur, seu quæ rationibus reddendis sunt obnoxia, quàm ex pecuniis etiam, quæ à singulis quovis modo acquisitæ in commune conferendæ omnino sunt. Nec si per viam voluntariæ contributionis in commune congerantur. Nec si forsan privatim, & nominatim cuilibet Religioso à suis Superioribus, vel à propriis affinis, propinquis, familiaribus, amicis, aut benevolis, vel à piis Christianis fidelibus, etiam elemosynæ, aut charitatis, & illius propriæ personæ intuitu attributæ, seu quoquo modo per quemlibet Religiosum suo Monasterio, Domui, aut loco acquisitæ, eique ut *ad libitum de eis disponat per Superiores concessæ fuerint*. Præterquam leviora esculenta, aut poculenta, seu ad devotionem, vel religionem pertinentia munuscula, communi tantum, non verò particulari nomine (ubi de consensu Superioris Conventus videbitur) tradenda. Sed & hujusmodi missiones munerum ipsis Religiosis utriuslibet sexus, non solum per se, verum etiam per alios tam directè, quàm indirectè prohibitas declaramus.

§ 4. Neque verò quispiam ab hac generali prohibitione se excusare valeat, etiam si munera miserit cuivis personæ Laicæ, vel Ecclesiasticæ cujuscumque status, gradus, dignitatis, ordinis, vel conditionis, & quavis non solum mundana, & Ducali, Regia, Imperiali, verum etiam Ecclesiastica, & Pontificali, aut alia majori, etiam S. R. E. Cardinalatus Dignitate fulgenti, etiam proprio loci Ordinario, etiam ex causa, & occasione benedictionis, vel susceptionis habitus Regularis, tonsuræ, aut professionis Monialium, tam sibi subditarum, aut ipsi etiam proprio Ordinis, vel Congregationis Protectori, Viceprotectori, vel Provinciali, aut cujusvis Monasterii, Prioratus, Domus, aut cujuslibet alterius loci Regularis Superiori, aut alio quocumque officio, munere, aut dignitate ful-

fulgenti, vel cuiuscunque etiam simplici, & particulari Religioso. Itaut inter ipsos quoque Religiosos (ne prava ambitione impulsus pro consequendis in sua Religione gradibus, & dignitatibus alter alterius gratiam, aut benevolentiam aucupeur) quaecunque largitio aut donatio munerum (nisi rerum minimarum de licentia expressa, & in scriptis Superiorum) sit penitus interdicta.

§. 5. Insuper prohibemus, ne unquam eisdem Regularibus liceat ullas pecunias quoquomodo erogare in alicujus etiam Benefactoris, aut Protectoris, vel Ordinarium honorem, etiam occasione transitus, vel primi ingressus, aut ad Beneficiorum acceptorum memoriam, gratique animi testificationem, seu pro praedictis quavis auctoritate, vel dignitate fungentibus honorifice, lautè, & opipare excipiendis, seu pro quibusvis conviviis eisdem, aut cuivis alteri quacunque occasione, vel causa exhibendis, vel pro Commestationibus, laut comotationibus quibusvis personis tam ejusdem Ordinis, Congregationis, Monasterii, Domus, aut Loci, quam extraneis largiendis, aut pro exhibendis spectaculis etiam piis intra Ecclesias, Monasteria, & Domos sacras, & pias, vel extra eas, in quibusvis publicis, aut privatis, sacris, aut profanis locis, etiam ubi Sanctorum, & Sanctarum vita, aut res piæ gestæ etiam in memoriam Passionis Dominicæ populis spectanda proponuntur, aut aliàs in praedictis, sive in quibusvis rebus supervacaneis ad pompam, & ostentationem, aut ad oblectationem, vel paucorum lucrum, & privata commoda quomodolibet pertinentibus; nisi re ipsa pro Divino Cultu, & veris Christi pauperum indigentis, servato in hoc charitatis ordine, & habita necessitatis ratione, de consilio, & consensu Superiorum sublevandis, aut aliàs in rebus licitis, & per Capitulum Generale, aut Provinciale non prohibitis, vel taxam ibi forsitan praescriptam non excedentibus, sumptus hujusmodi fiant.

§. 6. Declarantes tamen per hæc laudabilem, & Apostolica Doctrina, Sacrifque Canonibus commendatam hospitalitatem, praesertim erga pauperes, & peregrinos, nequaquam imminui, aut prohiberi. Quinimmo si qui redditus ad id, vel ex fundatione, vel ex institutis, statutis, aut consuetudinibus aliquorum Monasteriorum, Ordinum, aut Regularium hujusmodi locorum, aut ex testatorum, vel donantium voluntatibus, sive aliàs applicati, aut donati sunt, eos omnino, ut decet, integrè in usus pios hospitalitatis hujusmodi erogandos esse, & praesertim in Monasteriis, seu Locis desertis, & ab Laicorum ædibus longius remotis, ubi tamen pauperum, & verè egenorum ratio in primis habeatur. Si quos verò ditiores occasione transitus, sive aliàs ex devotionis, aut necessitatis causa eò divertere contigerit, eos sanè decere: Refectorio communium Religiosis, Mensaque, & Ferculis communibus, nequaquam à cæteris distinctis, contentos esse. Verùm omnino ipsi Regulares in Hospitiis hujusmodi potentioribus excipiendis ita se gerant, ut in eis frugalitas, & paupertas religiosa prorsus eluceat.

§. 7. Pari etiam ratione districtè inhibemus, ne quispiam ex praedictis Laicus aliàs, quam ut superius dictum est, vel Clericus Secularis, vel Regularis quocumque honore, praeserminentia, nobilitate, aut excellentia etiam S. R. E. Cardinalatu Dignitate praeditus, etiam Protector, Viceprotector, Loci Ordinarius, Prælati generalis, Provincialis, aut Monasterii, Domus vel loci cujuslibet Superiorum, vel affines, propinqui, familiares, aut Ministri utriuslibet sexus quicquam contra hanc superius expressam prohibitionem recipiant. Quod si, vel ab aliquo particulari Religioso, vel à Superiore quopiam Generali, Provinciali, aut

alio quocumque officio fungente, aut à Conventu, Capitulo, vel Congregat., sive ab universo Ordine, & Religione quicquam receperint, id quod acceperint suum non faciant. Verùm ipso facto absque alia monitione Judicis, Decreto, Sententia, aut declaratione, ad illius restitutionem omninò in utroque foro teneantur, adeo ut restitutione ipse realiter non facta, neque etiam in foro conscientie absolvi possint. Hanc autem restitutionem fieri volumus non privatim ei Religioso, qui donavit, sed ei Monasterio, Domui, vel alteri loco de cujus bonis facta est largitio, vel si non de eis bonis donatum est, in quo idem Religiosus donans professionem emisit, vel si nomine totius Capituli, Conventus, aut Congregationis, vel universi Ordinis, seu Religionis donatio facta extiterit, pariter communi Mensæ, aut Massæ cujus nomine donatum fuerit accepta munera restituantur, ita ut nec qui donavit, nec Conventus, Capitulum, Congregatio, Ordo, aut Religio, cui restitutio facienda est, illam remittere, & iterum condonare, aut recipientem ab obligatione restituendi eximere, vel ut in pauperes eroget concedere quoquomodo possit.

§. 8. Quod si quis ex supradictis Regularibus utriuslibet sexus, cujuscumque gradus, ordinis, dignitatis, ac nubiliter locorum existentibus, conjunctim cum ceteris, seu divisim nostrarum hujusmodi prohibitionum, statutorum, ordinationum, jussionum, decretorum, mandatorum transgressor fuerit, statuimus, ut omnibus, & singulis per eum obtentis dignitatibus, gradibus, muneribus, & officiis eo ipso privatus, ac ad illa, & alia similia, vel dissimilia in futurum obtinenda inhabilis perpetuò, & incapax, ac perpetua infamia, & ignominia notatus existat. Et præterea privationem vocis activæ, & passivæ absque ullo Superioris Decreto, aut Ministerio ipso facto incurrat; necnon ultrà hujusmodi penas, etiam tamquam contra furti, & simoniæ criminum reum tam per viam denunciationis, accusationis, aut querelæ, quam etiam ex officio procedi, & inquiri, condignisque suppliciis affici debeat. Penes alias à jure statutis, ac per alias Constitutiones Apostolicas, aut propria cujusvis Ordinis, Congregationis, Monasterii, Domus, aut Loci, statuta, vel consuetudines contra personas aliquid præmissorum committentes forsam decretis, & inflatis, nihilominus in suo robore permanfuris.

§. 9. & 10. (*Deputat Executores, & contrariis derogat.*)

Dat. Romæ in Monte Quirinali anno Incarnationis Dominicæ 1594. 13. Kal. Julii Pontificatus Anno tertio. *Bullar. tom. 3. pag. 40.*

Urbani VIII. Constit. CCLXVII.

Confirmatio, moderatio, & declaratio Bullæ Clem. VIII.
de largitione Munerum.

URBANUS EPISCOPUS &c.

Nuper à Congreg. nonnullorum Rom. Cur. Prælator. cor. dilecto filio nostro Antonio Tit. S. Petri ad Vincula Presbytero Cardinali S. Honuphrii nuncupato Majori Penitentiario, ac nostro in Alma Urbe Provicario in Spiritualibus Generali, à Nobis deputata, emanavit declar. tenoris subsequens. videl.

§. 1. Cum circa interpretationem Constitutionis fel. rec. Clementis VIII. sub data

tura

tum 13. Kal. Julii Pontificatus sui Anno tertio de largitione munerum Regularibus utriusque sexus interdicta, nonnullas difficultates, & ambiguitates sunt exortæ; Congregatio specialiter à SS. D. N. Urbano Divina Providentia Papa VIII. cor. Eminentiss. Cardinali S. Honuphrii Majori Pœnitentiario, ac Urbis Provicario deputata, auctoritate sibi attributa declaravit, & declarat, munera à Religiosis utriusque sexus tribui posse ex causis gratitudinis, conciliationis benevolentia, ejusque conservationis erga ipsam Religionem, vel Conventum, aliisve causis ex sui natura actum virtutis, & meriti continentibus, modestè tamen, ac discretè, & dummodò id non fiat, nisi de Superiorum localium licentia, ac etiam cum consensu majoris partis Conventus, si talis consensus de jure, vel ex Constitutionibus, seu consuetudinibus cujusque Religionis respectivè, in hujusmodi casibus requiratur. Consensum verò Conventus in §. 3. ejusdem Constitutionis ad leviora esculenta, aut poculenta, seu ad devotionem, & religiositatem pertinentia munuscula largienda, &c. requisitum, intelligi debere de consensu aliàs de jure requisito, & ubi concurrebat ambitionis suspicio, qua cessante, nec in his requiri licentiam Superiorum in scriptis in §. 4. ejusdem Bullæ requisitam, sed sufficere licentiam etiam oretenus eisdem concessam declarat. Commessiones autem, comotationes, & convivia in excipiendis, præsertim Benefactoribus, Protectoribus, vel Ordinariis honorificè, & lautè, de quibus in §. 5. & 6. ejusdem Constitutionis, censi tantummodò prohibita, si decentiæ status Regularis adversentur. Restitutionem verò receptorum Conventibus faciendam, de qua in §. 7. ibidem cautum est, intelligi debere de Conventibus ad quos data, donata seu missa de jure pertinent, si id commodè fieri potest, aliàs Conventui ejusdem Religionis viciniore loco, ubi petita fuit absolutio, restituantur. Insuper eadem facultate sibi tributa, omnes qui hucusque adversus supradictæ Constitutionis Capitula hic moderata largiti fuerunt, vel receperunt, à pœnis quibuscumque in eadem Constitutione inflictis, & incurfis, posse, & debere à propriis confessariis absolvi in foro conscientia etiam non facta prius hujusmodi rerum donatarum, seu datarum restitutione. Quoad eos verò, qui præter modum &c. transgressi sunt &c. ut de præteritis usque ad diem datæ præsentium in foro conscientia absolvat &c. Et ne prædictæ Clementis VIII. Constitutionis memoria dilabatur, Superiores locales cujuscumque Monasterii, Conventus, Domus, & Collegii Regularis sub pœna privationis Officii, vocisque activæ, & passivæ ipso jure incurren. efficere teneantur, ut in perpetuum singulis annis mense Januario, non solum prædicta Constitutio (quam in reliquis ejus partibus eadem Sanctitas omninò observari jubet, & quatenus opus sit innovat, quemcumque prætensum non usum, aut prætensum usum, seu prætensam consuetudinem damnando, & irritando) verum etiam hoc Decretum in aliqua publica Congregatione, vel saltem in publica Mensa per legatur. Omnibus tam Ecclesiasticis personis etiam Regularibus, quam Laicis cujuscumque sint Ordinis, conditionis, gradus, ac dignitatis etiam speciali nota dignis, & qui sub generali dispositione non comprehenderentur, prædictam Clementis Constitutionem contra præsentis Decreti tenorem, declarandi, vel interpretandi facultate penitus interdicta, super quibus, &c.

§. 2. Quapropter, ut præmissa firmiter subsistant, & inviolabiliter observentur quantum cum Domino possumus providere volentes, Motu proprio, & ex cer-

ta scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, declarationem præinsertam cum omnibus, & singulis in ea contentis tenore præsentium perpetuò confirmamus, & approbamus illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, &c. illaque inviolabiliter ab omnibus, ad quos spectat, & spectabit in futurum observari.

§. 3. & 4. (*Sequitur clausula sublata, & derogatio contrariis &c.*)

Dat. Romæ &c. 16. Octob. 1640. Pontific. Anno XVIII. Bullar. 10. 5. pag. 379.

ADNOTATIONES.

I. **E**IQVE PER SUPERIORES
CONCESSÆ FUERINT.

Quamquam Clemens Papa VIII. hac Constitutione, aliisque saluberrimis generalibus Decretis, & Pontifices successores pro collapsâ disciplina regulari restituenda plurimum insudaverint, adhuc humana fragilitas nititur in vetitum, & quod deterius est amplectitur.

Navar. in *commen. cap. non dicatis* 12. *quæst. 1. & in consil. 17. de stat. Monach.* tenet quod Regulares non obstante Concilii dispositione possint habere peculium, seu annuos redditus ad suos honestos usus, de Superiorum licentia, dependenter tamen ab eorum voluntate: hanc Navarri opinionem sequuntur Barbof. *de Offic. & Potest. Episc. alleg. 103. n. 6.* Tambur. *de jur. Abbat. tom. 2. disp. 22. qu. 5. num. 7. & de jur. Abbat. disp. 8. quæst. 1. n. 13.* Nicol. *lucubr. can. lib. 3. tit. 31. de regul. n. 15. ampl. 1. Passerin. de stat. homin. tom. 1. quæst. 186. art. 7. à n. 332. ad 341.*

2. Verùm opinionem istam semper à Sac. Congreg. Concilii pluribus Decretis (quæ refert) fuisse reprobata, latè, doctèque ostendit Fagnan. *ejusdem Sac. Congreg. Secretarius in c. Monachi de stat. Monach. & probat. num. 50.* non licere Regularibus habere usum mobilium, seu peculii superflui etiam de licentia Superioris, & dependenter ab illius voluntate, ac nutu, neque propter dictam licentiam eos excusari à culpa, vel à pœna ipso facto incurrenda, in Decretis Clement. VIII. comminatis, ut prosequitur n. 68. 69. & seqq. Quæ Decreta iterum innovavit Urban. VIII. *sua Constit. 26. Bullar. tom. 4. pag. 267. & seq.*

3. Tenendum igitur firmiter est, quod

Regulares utriusque sexus neque de Superioris permissione habere possunt, & tenere superflua, ut munera, & dona largiantur, aut expendant etiam in usus licitos: neque audiendi sunt Authores Regulares præsertim recentiores studiosi selectores laxiorum opinionum, qui evertere cupiunt Tridentini dispositionem (per tot vices à Sac. Congr. & Summis Pontificibus innovatam, & declaratam;) & Superiores, ac etiam subditos Regulares in periculum salutis conantur adducere, quos meritò non sequitur Donat. *prax. rer. Regul. 10. 4. tr. 15. q. 10. & 23.*

4. In Monasteriis igitur præsertim Monialium, in quibus, vel ob nimiam paupertatem, vel ob incuriam, & negligentiam Superiorum, non potest introduci, & observari vita communis, omnia undecumque quæsitæ (prout nostra Constitutio præcipit) in bursam Monasterii, seu Caplam Depositi conferendæ sunt, & registranda, ac nomine Monasterii exigenda; & exinde, ut Monialibus exhibitricibus de necessariis ad vitam provideatur, eisdem elemosynaliter de licentia Abbatissæ per Depositariam tradi debent, si vè pecunia sit, si vè aliud mobile: ita enim eo modo quo potest servatur votum paupertatis, & tollitur occasio proprietatis, ut tradit Donat. *ubi supra quæst. 11. n. 7. & quæst. 20. num. 1. & 2.* ubi refert Decretum Sac. Congr. Visitationis Apostolicæ emanatum 13. Julii 1627. pro Conventualibus Monasterii SS. Duodecim Apostolorum Urbis; & firmat quod Monialis, quæ pecunias, resque suas non depositat apud communem Depositariam Monasterii, sit verè proprietaria, & qu. 19. idem confirmat. Et latius dixi in *Adnot. ad Formul. XX. Tit. XI. de Monial. num. 4. 5. & 6.*

5. Par-

5. Partitæ autem d. Capis Communitatis per computum separatim sic in scribi debent -- *Il Monastero deve haver da se per conto di Suor N. studi . . .* prout Sac. Congregat. Episcop. rescripsit Archiepiscopo Barenfi 2. Octobr. 1595. cui totam pecuniam proveniente ex Monialibus particularibus in Capam communem deponendam esse injunxerat, quoties Moniales ex causis supradictis ad vitam communem reduci non possent, & iterum ita fieri jussit generaliter 4. Februar. 1678. *Christ. de Vist. §. 42. num. 40.*

6. Sub hac Constitutione, qua munerum largitio interdicitur, comprehenduntur etiam Novitii utriusque sexus, prout declaravit Sac. Congreg. Episcoporum S. Severini 23. Julii 1603. quod est contra Cherubin. in compend. Bullar. ad hanc Constit. schol. 1. & alios ab eo allegatos, quod Decretum ex Secretaria per me extractum, refert quoque Nicol. lucubr. civil. lib. 2. tit. 7. donat. post n. 13. vers. secundo notandum in fin.

7. Et quod Regulare non possint uti livellis nisi servata forma hujus Constitutionis, declaravit ead. Sac. Congr. Episc. in Florentina 21. Julii 1690. ad relationem clar. mem. Card. Petrucci.

8. In terris autem Infidelium, & Hæreticorum datur Indultum etiam Religiosis Min. Obsery. retinendi bona stabilia donata, nomine Sedis Apostolicæ, prout fuit concessum à Sac. Cong. Episc. facto verbo cum Sanctissimo Conventui S. Mariæ Sempron. in Pannon. 13. Junii 1615.

9. *Vel susceptionis habitus regularis, aut professionis Monialium.* Hic prohibetur expressè missio munerum locorum Ordinariis, occasione receptionis habitus, vel professionis Monialium, quod jam paulo antè vetitum fuerat ab eadem Sac. Congr. in Aversana 22. Januarii 1591. his verbis -- *Non liceat Episcopis cum Novitiæ vestiantur, vel professionem emittunt, à propinquis, vel ab alio quocumque dona tam comestibilia, quàm lineæ, etiam parvi valoris accipere, neque ab Abbatissis ingressu officii, sed ab eisdem comestibilia tantum in aliquibus solemnitatibus nomine totius Monasterii, etiam si antiquissima inoleverit consuetudo.*

10. Meminerint igitur Episcopi, aliivè Ordinarii, qui hæc malè servant, quod juxta tenorem hujus Constitutionis tenentur ad restitutionem, quatenus munera non comestibilia, & præter formam alterius Bullæ Urbani Octavi moderatoriæ supra relatæ recipiant; adeo ut neque à Summo Pœnitentiario (si munus summam scutorum decem excedat) absolvi possint nisi facta restitutione, prout patet ex novissima Constitut. Innoc. XII. declaratoriæ facultatum Cardinalis Pœnitentiarii, emanata de anno 1692. in qua sic habetur -- *Munera à Regularibus contra rec. mem. Clementis Papæ VIII. prout prædecessoris nostri Anno Incarnationis præfatæ 1594. tertio decimo Kal. Julii editam Constitutionem, ultra valorem decem scutorum monetæ, recipientes, exceptis rerum medicinalium, seu devotionis muneribus, ante factam restitutionem non absolvat, nec mandet absolvi; infra verò prædictum valorem non nisi facta arbitrio ipsius Majoris Pœnitentiarii, seu per eum eligendi Confessarii elemosyna, quæ in beneficium Religionis, seu Conventus, cui de jure facienda esset restitutio, si cautè fieri potest, erogetur, absolvat, seu mandet absolvi, Hollet. Bullar. pag. 61.*

11. Et quia agimus de Regularium servanda paupertate, hic te monitum, ac instructum volo, quod Regulares vulgò nuncupati *Crociferi* Sancti Spiritus in Saxia de Urbe, licet emittant vota solemnia sicuti cæteri Religiosi aliorum Ordinum, sub Regula S. Augustini eis data ab Innocentio III. ut patet ex Constitut. 7. ejusdem Pontificis Bullar. nov. tom. 1. & sint Religiosi, Tambur. de jur. Abbat. tom. 2. disp. 24. qu. 4. num. 35. Barbof. in Summ. decis. Apostol. collect. 369. num. 3.

12. Nihilominus quia vigore Constitut. Sixti IV. la 12. §. 4. Bullar. tom. 1. pag. 350. sunt capaces Beneficiorum Ordini unitorum, quæ aliis conferri non valent, possunt licet administrare, & retinere fructus eorundem, ut dixit Rot. decis. 772. part. 1. divers. illosque in usus licitos, pios, & remuneratorios expendere, ut de hac re consultus respondit Navarr. volum. primo lib. 3. consil. 13. de stat. Monac.

13. Et hujus permissionis motivum est, quia ratam dictorum fructuum in usus certos, & præscriptos juxta dicti Ordinis Regulam impendunt, & reliquam sibi sumunt, ac retinent, tamquam suæ operæ, & laboris mercedem, & ob ministerium, & officium quod præstant, ut observat Barbof. *de jur. Eccles. lib. 3. c. 7. n. 1. & 2.*

14. Et quamquam super hac licita retentione, & libera administratione reddituum dubitasset eximie pietatis olim Cardin. Petruccius, qui de anno 1693. ab Innoc. XII. Visitator Apostolicus fuerat deputatus; nihilominus re plenè, & mature considerata in Congr. quatuor Cardinalium specialiter ad id ab eodem Pontifice deputata, unanimi Voto cum eodem Visitatore sub die 5. Julii 1696. decreverunt Regulares præfatos licitè administrare, & retinere posse dd. redditus, & nihil esse innovandum --- *dummodo pecunie erogentur in usus pios, & religiosos.*

15. Pacta autem, & conditiones, quæ apponuntur in donationibus, aut legatis, quæ sunt particularibus Religiosis, cujuscumque Religionis (qui proprium retinere non possunt) à Consanguineis, seu extraneis personis, nempe quod neque fructus, neque proprietas rei donatæ, vel legatæ, nullo modo acquiratur Monasterio, sed Religioso, vitiantur, & tamquam turpes rejiciuntur; ut dicit Tondut. *qu. benef. tom. 1. cap. 96. n. 35. ibi --- quia certum est legatum, aut donationem Monacho fieri non posse, ut illius proprietatis Monasterio non queratur, & si sub illa conditione fiat, talis conditio tamquam turpis rejicienda est, & habetur pro non scripta, Bartol. &c.* Et ratio est, quia nullus Papa inferior potest facere Religiosum proprietarium, immò nec Papa, nisi dispenset in Voto paupertatis Donat. *prax. rer. Regular. part. 4. tract. 15. q. 13. num. 1.*

16. In receptione Novitiorum non est licitum Conventui exigere ab eis, vel eorum Consanguineis aliquam summam ultra mensuram alimentorum, sed servanda est dispositio juris, ut respondit *Sacr. Cong. Concil. in Leodien. 26. Januar. 1697.*

17. Neque possunt Religiosi professi testari, etiamsi ante professionem sibi ali-

quam summam suorum bonorum reservassent cum facultate testandi: quia est actus Domini, pro quo explendo deficit prorsus in eisabilitas, cum sit species novæ ultimæ voluntatis, ut docet Passerini, *de stat. hom. tom. 1. qu. 186. art. 7. n. 540.* his verbis --- *Sed numquid saltem potest Religiosus testari, si ante professionem suam in suo Testamento reservavit sibi aliquam summam suæ possessionis cum facultate testandi de illa? Hoc fieri non posse tenet Sanehez &c. Nam verè condere Testamentum est prorsus Religiosa prohibitum, unde nec potest reservare sibi facultatem testandi quasi nomine alieno, seu nomine sui secularis etiam de licentia Superioris, &c. Quicquid sit de voluntatis ambigüe declaratione, juxta distinctionem traditam per Cardin. de Luc. *de testam. disc. 35. n. 5.**

18. Minores autem Observantes, tam de familia, quam Reformati (quicquid sit de legatis in genere per modum elemosynæ, & pro unica vice eis relictis, quæ in vim Bullæ Clement. VII. *la 15.* ut in fabricam Conventuum, vel usum Sacristiæ convertant, recipere possunt) sunt penitus incapaces legatorum perpetuorum, necnon illorum quæ sunt annexæ onere Missarum, pro quibus non valent se se cum hæredibus legantis, sive donantis componere, neque aliis vendere, & alienare, ut pretium erogent in usus prædictos; prout olim declaravit Congreg. Concilii specialiter deputata ab Urbano VIII. teste Fagnan. *in c. nimis prava de excess. Prælat. num. 49. & 53.* ubi Decreta per extensum refert, & nuper idem censuit Sac. Congregat. generalis in Firmana Beneplaciti 28. Februar. 1693. sed in his virtute privilegiorum succedit Fabrica S. Petri de Urbe, ut praxis docet, & Card. de Luc. *in relat. Rom. Cur. disc. 20. n. 13.*

19. Et hinc nota, quod pro cæteris legatis piis, aliis Regularibus, Capitulis, Ecclesiis, locis, & personis certis, & capacibus relictis, ac tempore debito non satisfactis; Episcopi tùm de jure communi, *c. nos quidem*; & *cap. tua nobis de testam. Clem. quia contingit de Relig. dom. tùm vigore Concilii Trident. cap. 8. sess. 22. de refor. tum etiam tamquam Sedis Apostolicæ Delegati, sunt Executores: qui proin-*

proinde si pro eorumdem legatorum executione, five intra annum, five post annum à die obitus Testatoris, Commissarios d. Fabricæ pervenerint, non poterunt hi amplius se ingerere, neque Episcopos inhibere, & exturbare: quia Commissarii huiusmodi, harum piarum dispositionum sunt cum eisdem Episcopis Iudices, & Executores subsidiarii cumulative, & non privative, ex traditis à Gallemart. *suprà d. cap. 8. Concilii num. 1.* & in puncto advertit Card. de Luc. *de iurisd. disc. 44. num. 3.* ibi --- Et cum Episcopis hodie concurrat Fabrica S. Petri ejusque Commissarius in iis locis, in quibus hoc Tribunal introductum est.

20. Neque dici potest, quod Episcopi, cum exequi non curaverint intra annum prædicta legata, privati remaneant eumulativa, quia tunc solum hærede, seu Executore à Testatore dato per annum negligente, ad eos devolvitur executio, ut monent Card. de Luc. *d. disc. 44. num. 4.* & alii ab eo allegati: Unde lapsus anni potius favet, quàm obstat iuribus Episcoporum adversus prædictos Commissarios, qui cum non habeant peculiare privilegium, quod derogat expressè juri communi, ac dispositioni Concilii, nec aliter ullibi Episcopis iurisdicção in præmissis legatur ablata, perperam contendunt privativam habere.

21. Et licet verum sit, quod in legatis relictis pro malè ablatis, vel exoneratione conscientie, non possint Episcopi se intromittere, & si fortè ea exegerint, valeant à Fabrica vindicari, ut habetur in Compendio Privilegiorum ejusdem, Romæ impressorum anno 1676. *pag. 41. 43. 44. 45. & 48.* verum est quoque, quod in cæteris legatis supra expressis, datur inter Episcopos, & Commissarios Fabricæ etiam post annum præventio: hocque clarescit non solum ex mox deductis, sed ex facultatum, & privilegiorum lextura, in quibus *pag. 5.* sic habetur -- *legata pia quæcumque in Urbe exequendi infra quindecim menses à die mortis Testatoris realiter non adimpleta, in quibus Vicarius Urbis non prævenit, cum retentione quintæ partis san. mem. Pii V. Concl. 96.* ubi in notis marginalibus *lit. O.*

adduntur hæc verba --- *extra Urbem tam men proceditur post annum, Paul. 3. Concl. 31. §. 11.* idest (retenta eadem modificatione in privilegio expressa in quibus Episcopi locorum non prævenirent: prout ad ita addendum, supplendumque huic notæ suadent, tum ipsa rationis identitas, quæ militat favore Ordinarii Urbis: tum sequentes juris regulæ, nempe. Prima, quod Papæ voluntas præsumitur esse qualis de jure esse debet, *cap. novit. de iudic. Rot. coram Seraph. decis. 773. num. 17.* Secunda, quod privilegium est strictè interpretandum quando est contra jus commune, & contra jus tertii, *Tusch. litt. B. conclus. 50. num. 19. Rot. coram Coccin. decis. 1856. n. 9.* Tertia, quod respectu illius, qui jam habet iurisdictionem à jure, si iurisdicção alteri per privilegium, vel statutum concedatur, semper censetur data cumulative, & non privative, ut firmat Rot. coram Coccin. *decis. 316. n. 7.*

22. Nec subsistit in facto, quod Clemens Papa VIII. suis literis emanatis 28. Maii 1598. inhibuerit locorum Ordinariis, ne se intromittant in Causis legatorum piorum post jus quæsitum Reverendæ Fabricæ: Etenim Breve, quod ad hoc probandum per extensum adducitur in præfata privilegiorum compilatione *pag. 99.* nihil profus de hoc continet; sed in eo datur solum commissio, & iurisdicção delegata Hieronymo de Mauro Commissario generali in Civitate Neapolitana, qua posset vocatis vocandis, Causas in quibus Fabrica S. Petri haberet interesse, & præjudicium, contra quoscumque cognoscere, sineque debito terminare, cum facultate etiam Episcopos eorumque. Vicarios generales Regni Neapolitani (ad quos delegatio huiusmodi est restricta) inhibendi: quod certè est quid diversum à supposito per Compendiatorem privilegiorum facto ad Rubricam talis Brevis, quod scilicet Papa inhibuerit Ordinariis &c. quæ (nisi Breve legatur) potest incautos fallere: unde cautè legenda.

De-

Decreti pro Regularibus Ordinandis.

SUMMARIUM.

1 Superiores Regulares non possunt suis subditis Dimissorias concedere nisi ad Episcopum Diocesenum, sed malè servant.

- 2 Præfati Superiores eludunt Decretum Apostolicum, & n. 3.
 4 Decreti pænæ sunt Papæ reservatæ.
 5 Decreta Apostolica obligant in foro conscientie.
 6 Episcopi non debent admittere ad Ordines Regulares, nisi eis constet de impedimento Diocesani.
 7 Regulares ordinandi possunt ab Episcopo ordinante requiri sub iuramento, professionem spontè emissè.

DE mandato SS. D. N. Clementis Divina Providentia Papæ VIII. tenore præsentium mandatur omnibus, & singulis quorumcumque Regularium Superioribus, ut de cætero observent, & observari faciant ea, quæ in Decreto Sacræ Congregationis Concilii Tridentini continentur, cuius tenor est talis.

Congregatio Concilii censuit Superiores Regulares posse suo subdito itidem Regulari, qui præditus qualitatibus requisitis, Ordines suscipere voluerit, literas dimissoriales concedere, ad Episcopum tamen Diocesenum, nempe illius Monasterii, in cuius familia, ab iis, ad quos pertinet, is Regularis positus fuerit; & si Diocesanus abfuerit, vel non esset habiturus Ordinationes, ad quemcumque alium Episcopum, dum tamen ab Episcopo, qui Ordines contulerit, examinetur quoad Doctrinam, & dum ipsi Regulares non distulerint de industria concessionem Dimissoriarum in id tempus, quo Episcopus Diocesanus, vel abfuturus, vel nullas habiturus esset Ordinationis. Verùm cum à Superioribus Regularibus, Episcopo Diocesano absente, vel Ordinationes non habente literæ dimissoriæ dabuntur, in eis utique huiusmodi causam absentie Diocesani Episcopi, vel Ordinationum ab eo non habendarum, exprimendam esse: quod qui non fecerint, Officii, & Dignitatis, seu administrationis, ac vocis activæ, & passivæ privationis, ac alias arbitrio eiusdem Sanctissimi Domini Nostri Papæ reservatas pænas incurrant.

Datum Romæ 15. Martii 1599.

In Regest. Conc. Trid. fol. 9.

ADNOTATIONES.

1 **P**OENAS INCURRANT. Licet in Decreto clarè dicatur, quod non possint Superiores Regulares Dimissorias Subditis concedere, quando de industria distulerint ad tempus, quo Ordinarius Diocesanus, vel abfuturus, vel nullas habiturus esset ordinationes: Attamen Passer. de stat. ho. 10. 3. q. 189. n. 816. dicit quod Superior Regularis si habeat causam rationabilem timendi reprobatio-

nem suorum subditorum, utpotè quia Diocesanus sit austerus, & supramodum rigidus, vel habeat Examinatores malè affectos, possit tutè ex industria expectare tempus, in quo non sint habendæ Ordinationes in Diocesi, ut subditos extra Diocesim dimittat Ordinandos, & allegat Tambur. de jur. Abb. 10. 2. q. 18. n. 6.
 2. Item iste Author loco citato n. 818. addit, quod si Superiores dent Dimissorias pro Ordinibus suscipiendis ab alieno Episcopo, pænas in Decreto commi-

natas non incurant, ex eo quia verbum *incurrant* non importat pœnam latam: & quod tale Decretum unum tantum casum punit, non cœteros ibidem contentos.

3. Verum doctrina, seu sententia hujus Auctoris videtur eludere decretum: Etenim in meo Codice Decretum loquitur per verba imperativa --- *pœnas incurrant*, quæ important pœnam latam, & non ferendam, ut docet Sayr. *de Censur. lib. 1. cap. 11. num. 8.* & cum meo Codice concordant Pac. *Jord. lib. 3. tit. 6. n. 24.* Barbol. *in Sum. decis. Apostolic. collect. 254. num. 14.* Nicol. *in flosc. verb. Regul. n. 34. Concil. Provinciale Neapolitanum editum anno 1700. in Appendice pag. 275.* Et quod pœnæ hujus Decreti sint latæ sententiæ, tenet in puncto Ventrigl. *part. 1. adnot. 23. §. num. 33.*

4. Quod autem Decretum non tantum unum casum de Dimissoriis non concedendis Episcopo non Diœcesano, sed etiam alios ibidem expressos, in quibus defecerint Superiores, puniat, patet legenti totum tenorem Decreti, & verba in fine posita, ibi --- *quod qui non fecerint*, in plurali non autem in singulari, ut male sibi fingit Passer. concepta sunt: Quodque pœnæ ibidem inflictæ sint Papæ reservatæ, patet ex verbis finalibus Decreti, & tenet Gav. *in Manual. Episc. verbo ordo in genere num. 36. & 37.*

5. Et quatenus per possibile pœnæ in Decreto contentæ non essent sententiæ latæ, sed ferendæ (quod expressè negatur,) possunt ne Superiores Regulares ex causis sibi placitis, & ex suspitione, aut opinione probabili, ac ingenio productis, & Legislatoris declaratione non approbatis, illud impune, & absque culpa contemnere, & eludere) Certè quod non, quia Decretum est Papale, eique contrafaciunt in re gravi, & ideo peccant mortaliter; nam Decreta Apostolica obligant in foro conscientiæ ad illorum observantiam, Fagnan. *de communi in cap. Si quis n. 38. & 39. de Regular.*

6. Episcopi igitur non Diœcesani, rejiciant ordinandos Regulares, nisi eis constet Diœcesanos Ordinationes non tenere vel absentes, aut impeditos esse, per Attestationem Vicarii Generalis, aut Cancellarii, vel saltem per expressionem in litteris Dimissorialibus Superiorum faciendam, ut Decretum disponit.

7. Ac insuper præter hujusmodi attestationem, à Regularibus pro recipiendis Ordinibus Sacris Episcopo Diœcesano, vel non Diœcesano præsentatis, posset quoque (si placeret Ordinanti) exigi fides Superiorum, dimissos professionem emisisse juxta præscriptum eorum Regulæ: Necnon juramentum manu propria Ordinandorum in actis Cancellariæ Ordinandis obsignatum registrandum, ipsos id spontè, & libera voluntate fecisse, aut ratum habuisse. Et hoc ac præcludendam viam frequentibus reclamationibus super nullitate professionis ex capite, & prætextu vis illatæ, prout in *Concil. Provincial. 2. tit. 1. Decret. 23.* præscripsit Divus Carolus.

Clementis VIII. Constit. XCIX.

De erectione novorum Conventuum.

S V M M A R I V M.

- 1 Monialium Monasteria possunt transferri non solum, quando malorum hominum periculis sunt obnoxia, sed etiam ubi concurrit eadem ratio, & n. 3. & 4.
- 2 Monialium Monasteria depauperata debent uniri.
- 3 Moniales de uno ad aliud Monasterium translatae an teneantur denuo novitiare, referuntur DD. sententiæ, & n. 6.
- 7 In fundatione novi Conventus, dissensus Regularium præexistentium non attenditur, quoties irrationabiliter denegatur.

CLEMENS EPISCOPUS, &c.

QUoniam ad institutam Regularium locorum, & personarum reformationem promovendam, & conservandam maximè pertinet, ut in quibusque Domibus, & Monasteriis tantus numerus Religiosorum, qui commodè ibidem ali possit, contineatur, ac eò pariter spectat, ut in quibusque Civitatibus, & locis, novæ Domus, & Monasteria præsertim Mendicantium, non erigantur, nisi in eisdem Civitatibus, & locis, aliorum Domorum, & Monasteriorum in eis existentium habita ratione, commodè sustentari posse dignoscatur.

§. 1. Hacigitur nos consideratione ducti, & in præmissis pro nostro Pastoralis munere opportunè providere volentes, motu proprio, & ex certa nostra scientia, ac matura deliberatione, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, ex Voto etiam Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium super consultationibus, & negociis Episcoporum, & Regularium præpositorum, harum serie declaramus, locorum Ordinarios non posse licentiam ad novos Conventus cujusque Mendicantium Ordinis, in Civitatibus, & locis eorum ordinariæ jurisdictioni subiectis erigendos impertiri, nisi vocatis, & auditis aliorum in eisdem Civitatibus, & locis existentium Conventuum Prioribus, seu Procuratoribus, & aliis interesse habentibus, & causa servatis servandis cognita confiterit, in eisdem Civitatibus, & locis novos hujusmodi erigendos Conventus, sine aliorum detrimento commodè sustentari posse.

§. 2. Si verò ab eorum in hujusmodi causis sententiis ad Nos, & Apostolicam Sedem provocari, & appellari contigerit, ipsos Ordinarios tamdiu erectionem novorum Conventuum suspendere debere, quousque à Nobis, & Apostolica Sede in eadem causa pronunciatum extiterit, irritum nihilominus, & inane decernentes quicquid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Quo circa universis Venerabilibus Fratribus nostris Patriarchis, Prælatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis locorum Ordinariis per præsentem in virtute sanctæ obedientiæ districtè præcipiendo mandamus, ut præsentem nostras litteras observent, & observari curent, & faciant.

§. 4. (*Sequitur derogatio ampla contrariorum.*)

Datum Romæ apud S. Marcum 13. Julii 1603. Anno duodecimo. *Bullar. tom. 3. pag. 146.*

Gregorii XV. Constit. XXXI.

Confirmatio, & ampliatio d. Constit. Clem. VIII.

GREGORIUS EPISCOPUS &c.

CUM aliàs fel. rec. Clemens Papa VIII. decreverit Ordinarios locorum licentias ad novos Conventus cujuscumque, præsertim Mendicantium, Ordinis, in Civitatibus, & locis eorum ordinariæ jurisdictioni subiectis erigendos, impartiri non posse, nisi vocatis, & auditis aliorum in eisdem Civitatibus, & locis existentium Conventuum Prioribus, seu Procuratoribus, & aliis interesse

se habentibus, & causa servatis servandis cognita, in eisdem Civitatibus, & locis novos huiusmodi erigendos Conventus sine aliorum detrimento, commodè sustentari posse constiterit. Si verò ab eorum sententiis ad Sedem Apostolicam provocari, & appellari contigerit, ipsos Ordinarios tamdiu erectionem novorum Conventuum suspendere debere, quamdiu à dicta Sede in ea causa pronuntiatum extiterit, ac aliàs prout in Decreto huiusmodi plenius continetur.

§. 2. Verùm per piæ mem. Paulum Papam Quintum accepto, plerosque ex Ordinariis prædictis, favore, vel nimia expolcentium importunitate ad novos Conventus, seu Domo præter, & contra tenorem prædicti Decreti erigendos, plerumque adduci, quo fit, ut non habita debita eleemosynarum, seu reddituum cuiuscumque Monasterii, Conventus, seu Domus ratione, Monachi seu Fratres, aut Religiosi ibi degentes, manu teneri nequeant, & ad tam exiguum numerum reducantur, ut Cultus Divinus in eorum Ecclesiis destituatur, ibique Regularis disciplina, ut convenit, conservari non valeat. Sac. Congregatio Illustrissimorum DD. Cardinalium negociis Regularium præpositorum, ad quosidem Paulus Papa V. remedium adhibere cupiens, decreti huiusmodi veriores, ac totos tenores præsentibus, ac si de verbo ad verbum insererentur pro plenè, & sufficientes expressis habens, vivæ vocis oraculo à Ss. D.N. Gregorio Papa XV. habito, Decretum prædictum quatenus opus sit innovat, & in usum reducit.

§. 3. Volens quod de cætero Monasterium, Conventus, Domus, Congregatio, vel Societas religiosorum, seu Regularium cuiuscumque etiam Mendicantium Ordinis, Societatis, & Instituti, quocumque nomine nuncupentur, etiam si de illis particularis, expressa, & specifica mentio habenda esset in quacumque Civitate, vel Oppido, seu quocumque alio loco non erigantur, nisi in eo saltem duodecim Fratres, aut Monachi, seu Religiosi inhabitare, ac ex redditibus, & consuetis eleemosynis sustentari valeant, ac Priores, seu Procuratores aliorum Monasteriorum, Conventuum, seu Dommorum aliarum Religiosorum, vel Congregationum, aut Societatum, seu Institutorum huiusmodi non solum in prædictis, sed etiam in aliis per quatuor millia passuum circumvicinis locis ad id vocati, & auditi fuerint, vel aliàs Ordinariis locorum constiterit, Religiosos Monasterii, Conventus, seu Domus Regularis sic erigendi, seu erigendæ, absque detrimento Religiosorum in Monasteriis, seu Domibus antea in Civitatibus, seu locis huiusmodi erectis degentium, ibi in numero duodecim commodè, & congruè manuteneri, & ali posse. Si verò novi Conventus, Domus, Congregatio, vel Societas huiusmodi instituendæ erunt, nullique alii Regulares inibi reperiantur, Ordinarii locorum nihilominus diligenter inquirent, an locorum Incolæ, & Habitatores, quorum & consensum requirant, ac adhibeant, huiusmodi duodecim Religiosos in Conventibus, ut præmittitur, instituendis, commodè alere, & manuteneri valeant.

§. 4. Si verò à Decreto, seu Decretis per Ordinarios prædictos in causis huiusmodi ferendis legitimè appellari contigerit, ex nunc prout ex ea die, qua appellatio interponetur, ea ad eandem S. Congregationem unà cum toto negotio principali devoluta censeatur, appellationeq; huiusmodi pendente nihil innovandum esse, irritumque, & inane quicquid secus super his à quoquam quavis

vis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernens, quibuscumque in contrarium facien. non obstantibus.
Romæ 17. Augusti 1622. Bullar. tom. 4. pag. 138.

Urbani VIII. Constit. XXV.

Confirmatio, & ampliatio dd. Constitutionum

URBANUS EPISCOPUS &c.

Romanus Pontifex, cui Salvator, & Dominus noster, qui Charitas est, & Deus pacis, Universalis Ecclesie credidit Principatum, ea interdum, quae certis etiam rationabilibus de causis à Sede Apostolica concessa sunt, ipsa subindè rerum experientia suadente, & majoribus ex causis, quibus praesertim personarum sub suavi Religionis jugo Altissimo famulantium paci, & quieti consultitur, litibusque, ac controversiis inter eos obviamitur, revocat, & immutat, in hisque Pastoralis sollicitudinis, & providentiae suae studium interponit, prout rerum, & temporum qualitatibus debite pensatis conspicit in Domino salubriter expedire.

§. 1. Cum itaque, sicut Nobis innotuit, complures licentiae, sive facultates à nonnullis Romanis Pontificibus Praedecessoribus nostris per diversos Ordinum etiam Mendicantium, Congregationum, Societatum, & aliorum Regularium Institutorum Superiores, seu alios eorum nomine, ubique locorum Monasteria, Domos, Collegia, Conventus, & alia loca Regularia, quovis nomine nuncupata, servata dumtaxat Sacrorum Canonum, & Concilii Tridentini Decretorum forma, de sola Ordinarii licentia, seu etiam forsan non servata forma, & absque licentia huiusmodi, & contra Decreta à Sede Apostolica super praemissis edita, fundandi, erigendi, & instituendi importunis precibus, seu etiam motu proprio, vel aliàs obtentæ, & extortæ fuerint; Idcirco Nos omnes, & quascumque licentias, ac facultates huiusmodi, literasque desuper tam sub plumbo, quam in huiusmodi forma Brevis desuper expeditas, earumque tenores etiam veriores, & Dat. praesentibus, ac si specificè, & sigillatim exprimerentur, & insererentur, pro plenè, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, justis de causis animum nostrum moventibus, motu proprio non ad alicujus nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, omnes, & quascumque licentias, & facultates huiusmodi, literasque desuper tam sub plumbo, quam in eadem forma Brevis expedita, omniaque, & singula in eis quomodolibet contenta, & expressa, etiam quoad erectiones, fundationes, & institutiones Monasteriorum, Collegiorum, Domorum, Conventuum, & aliorum Regularium locorum huiusmodi, quae suum nondum sortitæ sunt effectum, tenore praesentium perpetuò revocamus, cassamus, abrogamus, & annullamus, viribusque, & effectu prorsus evacuamus.

§. 2. Praeterea Ordinum etiam Mendicantium Congregationum, Societatum, & aliorum Institutorum Regularium Superioribus quocumque nomine nuncupatis, caeterisque personis ad quos spectat, in virtute sanctae obedientiae, ac
sub

sub privationis vocis activæ, & passivæ, necnon Officiorum quorumcumque, ac inhabilitatibus ad illa, & ad alia in futurum obtinenda, necnon etiam excommunicationis ipso facto incurrendis pœnis interdiciamus, & prohibemus, ne licentiarum, seu facultatum per Nos, ut præfertur, revocatarum, & annullatarum, five alio quovis prætextu, vel causa, etiam quantumvis privilegiata, nova Monasteria, Collegia, Domus, Conventus, & alia loca Regularia hujusmodi, nisi de expressâ Ordinariorum licentia, ac servata in omnibus, & per omnia Sac. Canonum, & Conc. Trid. necnon Constitutionibus fel. rec. Clem. VIII. quæ incipit *Quoniam ad institutam &c.* ac Decretorum de mandato ejusdem Clementis, necnon sa. mem. Gregorii XV. Roman. Pont. Prædecessorum, desuper editorum, forma recipere, erigere, fundare, seu aliàs quomodolibet instituere, seu incepta finire, & absolvere audeant, seu præsumant.

§§. seqq. (*Sequuntur clausule preservativæ hujus Constitutionis, deputantur Executores, & contrariis amplissimè derogatur.*)

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die 28. Augusti 1624. Pontificatus anno secundo, Bullar. tom. 4. pag. 265.

Innocentii X. Constit. L.

Super suppressione parvorum Conventuum, ac prohibitione erigendi novos.

INNOCENTIUS EPISCOPUS &c.

Institurandæ Regularis disciplinæ &c.

- §. 1. Narrat disciplinam collapsam ex multiplicatione Conventuum parvorum.
- §. 2. Omnes parvos Conventus supprimit.
- §. 3. Superioribus Ord. Regular. injungit executionem.
- §. 4. Prohibet in Ecclesiis Conventuum suppressorum Missas, & Divina Officia celebrari.
- §. 5. Verùm quia parum est mala præcidere, nisi etiam malorum causa, & radix evellatur; Constitutiones fel. rec. Bonifacii VIII. quæ incipit, *Cum ex eo*, necnon Clementis VIII. incipien. *Quoniam ad institutam &c.* aliorumque Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum super erectione novorum Conventuum editas, earumdem tenores innovantes, *illisque addentes*, hoc perpetuò prohibemus Ediçto, ne deinceps aliquis Regularium Ordinis Mendicantium, vel non Mendicantium, Congregationis, Societatis, & cujusvis alterius Instituti, etiam Societatis Jesu, in aliqua Civitate, Castro, Villa seu loco ad habitandum Domos, vel loca quæcumque de novo recipere, seu Monasteria, Conventus, vel Collegia incipere, vel fundare præsumat absque Sedis Apostolicæ licentia speciali plenam, & expressam faciente de prohibitione hujusmodi mentionem in scriptis, & gratis concedenda, prævia examinatione Congregationis negociis Episcoporum, ac Regularium præpositæ: si secus egerint eo ipso incurrant pœnas privationis, & inhabilitatis, ut supra inflictas, & nihilominus receptiones, foundationes, & erectiones sint ipso jure nullæ, & invalidæ, & Domos, ac loca ipsa, & perso-

Monacelli Form. Pars I.

D d

næ

næ in eis degentes omnimodæ jurisdictioni, visitationi, correctioni Ordinarii loci plenè in omnibus subiaceant. Intendimus autem in præmissis etiam ultra Italiam, & Insulas adjacentes, prout expedire viderimus, providere.
§. 6. 7. & 8. (*Sequuntur clausule præservativæ, & Derogatoricæ amplissimæ*)
Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem anno 1652. Idibus Octobris Pontificatus anno nono, *Bullar. tom. 5. pag. 524.*

ADNOTATIONES.

1 QUÆ sint advertenda in fundatione novorum Conventuum, dixi in tit. de licentis Adnot. ad Form. 19. quibus hic nil addendum superest. Si verò quæras an Monialium Monasteria jam fundata transferri possint, & debeant non solum, quando malorum hominum periculis sunt exposita, sed etiam in aliis casibus similibus, in quibus militat eadem ratio; & dicas quod sic, prout tenent Barbof. in Sum. decis. Apostol. collect. 512. n. 1. Donat. prax. rer. Regular. tom. 4. tract. 4. de viol. claus. per egres. quæst. 2. num. 3. & seq.

2. Item Monialium Monasteria propter exiles redditus possunt, immò in mea sententia deberent uniri, quia deficientia alimentorum, & rerum ad vitam congruè sustentandam, non solum est causa sufficiens unionis, ut ex Federic. de Sen. conf. 29. tenet Fagnan. in cap. Recolentes num. 23. de stat. Monach. Tambur. de jur. Abbat. tom. 3. disp. 5. quæst. 1. num. 5. sed est occasio proxima relaxationis observantiæ Regularis: meumque hoc Votum amplexa fuit Sac. Congreg. Episcoporum in una Camerinen. in qua dirigente clar. mem. Card. Petrucio, concessa fuit unio Monasteriorum Monialium Sancti Hieronymi, & Sancti Joannis Terræ Sancti Genesii 8. Augusti 1698. quia tum propter paupertatem, tum propter Monialium exiguum numerum, regularis disciplina collapsa penitus erat.

2. Quo verò ad materiale loci translationem adde, quod hæc fieri poterit causa concurrente, etiam sola auctoritate Episcopi, juxta doctrinam Grassi. decis. aur. part. 1. lib. 4. cap. 23. num. 18. ibi -- Et nota quod quando Episcopus videret Monasteria Monialium non esse in loco tuto, posset ad alium locum transferre: Nam licet Regulariter Monasteria transferri nequeant, 19.

quæst. 3. quæ semel, & ibi glos. tamen fallit causa utilitatis 16. quæst. ult. cap. Si quis vult, ubi glos. not. Aliæ etiam causæ ponuntur de consecr. dist. 1. tres videlicet, cum necessitas persecutorum inest. Item cum difficultas locorum fuerit. Item propter aeris interperiem 74. dist. quorundam.

4. Et quod hoc fiat ab Episcopo tamquam Sedis Apostolicæ Delegato, etiam si Concilium Tridentinum specialiter id non expresserit, ex Stephano Vveymis probat etiam Barb. supra Concil. sess. 25. cap. 5. de Regular. num. 116. ubi ampliatur procedere quoque in Monasteriis exemptis.

5. Si autem quæras an Moniales per viam unionis ad aliud Monasterium translatae debeant de rigore denuò Novitiatum explere, & novam professionem emittere? Distingue. Si regula Monasterii ad quod fuerunt translatae est diversa ab ea, quam professæ fuerant in Monasterio a quo, respondet affirmative Donat. de Regular. tom. 1. tract. 5. de transeunt. quæst. 29.

6. At Tamburin. de jur. Abbatissar. disp. 21. quæst. 11. tenet quod transeuntibus ad aliud Monasterium ejusdem Religionis, seu ad laxiorem, vel quamcumque aliam auctoritate Papæ, non teneantur Novitiatum peragere, neque professionem de novo emittere. Tu autem si casus contingeret, oraculum Sac. Congregationis exquiras, & exequere.

7. In nova autem Conventus Virorum fundatione, oppositio Regularium præsertim Mendicantium præexistentium in loco, non attenditur, ubi eorum consensus formam Constitutionum Apostolicarum requisitus irrationabiliter denegatur. Licet enim Bulla Clem. VIII. la 99. mandet, quod in novis foundationibus procedatur causa cognita citatis interesse habentibus: Nihilominus quia postmodum mo-

moderata fuit alia Constitutione Gregor. XV. Constitut. 31. in qua §. 3. disponitur, quod consensus aliorum Regularium non sit absolutè necessarius, quoties loci Ordinario constet novam fundationem nullum afferre præexistens præjudicium; poterit ad ulteriora procedi, quoties ab Hominibus Universitatis concorditer nova fundatio exquiratur, & Episcopo (excluso aliorum detrimento) ita bono publico spirituali, & commoditati populi expedire videatur, non obstante eorundem Regularium præexistentium dissentu, late Passerin. in cap. unico de excess. Prælator. à num. 50. ad 64. in 4. libr. Decret. in 6.

Clemens VIII. Constit. CXV.

De forma servanda in erigendis & aggregandi Confraternitatibus .

S U M M A R I U M .

- 2 Rectores, & Officiales Confraternitatum debent gratis officia exercere .
- 3 Jus patronatus Confraternitatis Laicorum, dicitur laicale, nec cadit sub reservationibus .
- 4 Confraternitates, & cætera loca pia tenentur contribuere pro victualibus Visitatoribus exceptis Hospitalibus, & non obstante consuetudine non solvendi .

CLEMENS EPISCOPUS &c.

§. I. **Q**Uæcumque &c. Cum itaque à pluribus Romanis Pontificibus nostris, & forsitan etiam à Nobis nonnullis Regularibus Ordinibus, Religionibus, & Institutis, ac etiam Christifidelium sæcularium Archiconfraternitatibus, & Congregationibus diversarum Nationum, nominum, & institutorum, tam in Alma Urbe nostra, quam in aliis Civitatibus, & locis Christiani Orbis institutis, facultas erigendi, & instituendi in eorum, & aliis Ecclesiis, & Collegiis, nec non etiam sibi aggregandi Confraternitates, & Congregationes in eadem Urbe, & in aliis locis existentes, eisque Privilegia, Indulgentias, facultates, aliasque spirituales gratias, & Indulta sibi concessa respectivè communicandi attributa fuerit, ac nulla certa forma, vel ratio præscripta sit, quæ in hujusmodi erectionibus, institutionibus, aggregationibus, & communicationibus faciendis servari debeat; propterea, sive negligentia Superiorum Ordinum, Religionum, & Institutorum, vel Officialium Archiconfraternitarum, & Congregationum erigentium, instituendum, aggregantium, & communicantium, quæ Confraternitatibus, & Congregationibus erigendis, instituendis, & aggregandis, & quibus communicationes Privilegorum, Indulgentiarum, aliarumque gratiarum prædictarum fiunt, non servant formam in hujusmodi erectionibus, institutionibus, aggregationibus, & communicationibus servari debitam, neque præscribunt modum quo privilegia, indulgentias, facultates, aliasque spirituales gratias, & indulta prædicta consequi debeant, seu ipsarum Confraternitatum, & Congregationum incuria, quæ non inquirunt ea, quæ præstare oportet ut illa consequantur, nonnullæ prævæ consuetudines irrepsérunt, multaque incommoda inde provenerunt .

§. 2. Quibus Nos pro commisso Nobis Apostolicæ sollicitudinis officio, paternaque erga omnes Christifideles charitate prospicere volentes, hac nostra Constitutione perpetuò valitura decernimus, atque statuimus, ut in posterum tam

D d 2 hu-

- hujus Almæ Urbis nostræ, quàm aliarum Civitatum, & locorum totius Christiani Orbis Regularium Ordinum, Religionum, & Institutorum, quibus in eorum, & quibuscumque aliis Ecclesiis, & Collegiis Confraternitates secularium erigendi, & instituendi facultas concessa est, nec non etiam Confraternitatum, & Congregationum, cujusvis Nationis, nominis, & instituti illæ sint, & in quibuscumque Ecclesiis, Domibus, & Oratoriis, tam secularium, quàm ut præfertur quorumcumque etiam Mendicantium Ordinum, Religionum, & Institutorum Regularium, quavis tam Ordinaria, quàm Apostolica auctoritate erectæ, ac institutæ existant, seu aliàs quovis modo introductæ reperiantur, quibus alias Confraternitates, & Congregationes instituendi, erigendi, ac sibi aggregandi, illisque privilegia, indulgentias, facultates, aliasque spirituales gratias, & indulta prædicta, elargiendi, & communicandi potestas à Rom. Pontificibus Prædecessoribus nostris, vel à nobis, & Apostolica Sede attributa fuit, Magistri, Priores, Præpositi, Rectores, Gubernatores, Præceptores, Primicerii, Prælati, Custodes, Guardiani, Præfecti, Administratores, & alii Officiales, seu Superiores quovis modo nuncupati, Regularium siquidem Ordinum, Religionum, & Institutorum, unam tantum Confraternitatem, & Congregationem, de consensu tamen Ordinarii loci, & cum litteris ejus testimonialibus, quibus Confraternitatis, & Congregationis erigendæ, & instituendæ pietas, & Christianæ charitatis officia, quæ exercere cupit, apud eos commendentur, in eorum, & quibuscumque aliis Ecclesiis, & Collegiis erigere, & instituere.
- §. 3. Cæterarum verò Archiconfraternitatum, & Congregationum, in singulis Civitatibus, Oppidis, vel locis, unam etiam Confraternitatem, & Congregationem dumtaxat, quæ Apostolica, vel Ordinaria auctoritate prius erecta, ac nulli alteri Ordini, Religioni, Instituto, Archiconfraternitati, & Congregationi ejusdem, vel alterius Nationis, nominis, & instituti aggregata sit, prævio similiter Ordinarii loci consensu, & cum ejus litteris testimonialibus ejusdem Confraternitatis, & Congregationis aggregandæ institutum, pietas, & Christianæ charitatis officia, quæ exercere consuevit apud eos, commendentur, sibi adjungere, & aggregare possint.
- §. 4. Huic verò Confraternitati, & Congregationi erigendæ, instituendæ, seu aggregandæ, ea tantum privilegia, indulgentias, facultates, aliasque spirituales gratias, & indulta, quæ ipsi Ordini, Religioni, Instituto erigenti, instituenti, ac communicandi, seu Archiconfraternitati, & Congregationi aggreganti nominatim, & in specie, non autem quæ per extensionem, vel communicationem sibi quovis modo concessa sunt, & illa quidem non sub generali forma verborum, vel ad instar, sed expressè, & in specie communicare valeant.
- §. 5. Statuta autem pro regimine Ordinum, Religionum, & Institutorum, erigentium, & instituentium, ac communicantium, seu Archiconfraternitatum, & Congregationum aggregantium edita, Confraternitatibus, & Congregationibus erigendis, instituendis, & aggregandis, & quibus communicationes privilegiorum, & aliorum prædictorum fiunt, impartiri non possint, nisi ea prius ab Episcopo Diocesano examinata, & proratione loci approbata fuerint, quæ nihilominus ejusdem Episcopi decretis, ac moderationi, & correctioni in omnibus semper subiecta remaneant.
- §. 6. Insuper volumus, & ordinamus, ut prædicti Ordines, Religiones, Instituta.

- tuta erigentia, instituentia, ac communicantia, necnon Archiconfraternitates, & Congreg. aggregantes certam erigendi, instituendi, aggregandi, & communicandi *Formulam à Nobis* novissimè approbatam diligenter observent, secundum quam privilegia, indulgentias, facultates, aliasque *spirituales gratias*, & indulta ipsis Ordinibus, Religionibus, Institutis erigentibus, instituentibus, & communicantibus, seu Archiconfraternitatibus, & Congreg. aggregantibus, nominatim, & expressè, non autem per communicationem neque ad instar, ut supra concessa, ipsis Confraternitatibus, & Congregationibus erigendis, instituendis, & aggregandis, & quibus communicationes fiunt, communicare possint.
- §. 7. Quibus Confraternitates, & Congreg. ejusdem dumtaxat nationis, & nominis, Ordinis, Religionis, & Instituti, Archiconfraternitatis, & Congreg. cui aggregantur, tam hætenus aggregatæ, quàm impostero aggregandæ utantur, potiantur, & gaudeant. Itaut dictarum Confraternitatum, & Congreg. erectarum, institutarum, & aggregatarum, ac quibus communicationes factæ sunt, Ministri, & Officiales, & alii supradicti privilegia, indulgentias, facultates, aliasq; spirituales gratias, & indulta hujusmodi, prævia tamen recognitione Ordinarii loci, qui adhibitis duobus de ejusdem Ecclesiæ Capitulo illa juxta Sacri Concil. Trid. Decretum promulganda decernat, debitis temporibus promulgare valeant.
- §. 8. Quibus etiam Ministris, Officialibus, & aliis prædictis, eleemosynas, & alia oblata christianæ charitatis subsidia, juxta modum, & formam per Ordinarium loci præscribendam, remotis tamen mensis, pelvibus, & capsis, quæ in Ecclesiis, & Oratoriis dictarum Confraternitatum, & Congregationum publicè ad hoc exponi consueverunt, excipiendi potestas detur. Atque hoc ipsum Ordines, Religiones, Instituta erigentia, instituentia, ac communicantia, seu Archiconfraternitates, & Congregationes aggregantes, tam Almæ Urbis nostræ, quàm aliarum civitatum, & locorum quorumcumque juxta modum à Vicario Urbis, & ab Ordinariis locorum respectivè præscribendum, observare teneantur. Eleemosynas autem sic collectas in reparationem, & ornatum Ecclesiarum tam Ordinum, Religionum, Institutorum erigentium, instituentium, & communicantium, ac Archiconfraternitatum, & Congregationum aggregantium, quàm Confraternitatum, & Congregationum erigendarum, instituendarum, & aggregandarum, & quibus communicationes fiunt, aut in alios pios usus, arbitrio ejusdem Vicarii nostri in Urbe, necnon Ordinariorum locorum respectivè, fidelitè exponere, atque erogare procurent, *ut omnes intelligant, Cælestes Ecclesiæ Thesavros, non quæstus, aut alicujus lucri causa, sed pietatis, & charitatis excitandæ gratia ex Apostolicæ Sedis benignitate Christi fidelibus aperiri.*
- §. 9. Præterea volumus, ut confessarii, qui vigore privilegiorum ipsis Ordinibus, Religionibus, Institutis erigentibus, instituentibus, & communicantibus, seu Archiconfraternitatibus, & Congregationibus aggregantibus concessorum, ac Confraternitatibus, & Congregationibus aggregandis communicandorum pro tempore eligi possunt, & poterunt Sæculares, scilicet in Alma Urbe à prædicto nostro Vicario, extra Urbem verò à locorum Ordinariis; Regulares autem non solum à prædicto Vicario nostro, & à locorum Ordinariis respectivè, sed etiam à suis Superioribus approbati sint; utque Confratres confitentibus à criminibus, casibus, & censuris, juxta dictorum privilegiorum (quatenus tamen sint in usu, & Sacris Concilii Tridentini Decretis, ac Romanorum

rum Pontificum Prædecessorum nostrorum, & nostris Constitutionibus, non adferentur, nec revocata, aut sub aliquibus revocationibus comprehensa sint) formam, & tenorem dumtaxat absolvi valeant. Decernimus insuper, ut iidem Confessarii præd. Confratres cujuscumq; gradus, status, conditionis, & præeminentiæ, etiam si speciali nota digni fuerint, a casibus contentis in litteris, quæ die Genæ Domini legi consueverunt, necnon violationis immunitatis, & libertatis Ecclesiasticæ, & Clausuræ Monasteriorum Monialium si videlicet sine necessaria, & urgenti causa, ac sine Superiorum licentia, vel etiam si causa, & licentia concessa abutentes prædicta Monasteria ingressi fuerint, necnon violentæ manus injectionis in Clericum, & singularis certaminis, seu duelli, ac ab aliis etiam casibus tam à Nobis, quàm à prædicto nostro in Urbe Vicario, & locorum Ordinariis respectivè reservatis, & pro tempore reservandis, & etiam à quavis excommunicatione ab homine lata absolvi, & super irregularitatibus tam ex aliquo defectu provenientius, quàm occasione delicti contractis, cum aliquo dispensare prætextu dictorum privilegiorum nullo modo possint.

§. 10. Demùm statuimus, & pariter ordinamus, ut Confraternitates, & Congregationes ubivis locorum quavis auctoritate, ut præfertur, erectæ, & institutæ, & quibus communicationes prædictæ factæ sunt, ac cuicumque ex dictis Ordinibus, Religionibus, Institutis, Archiconfraternitatibus, & Congregationibus ubilibet existentibus, hæcenus aggregatæ, ab eisdem respectivè Ordinibus, Religionibus, Institutis, Archiconfraternitatibus, & Congregationibus, novas erectionum, institutionum, communicationum, & aggregationum litteras, juxta formam à Nobis novissimè approbatam, infra annum, si in Europa sint, & si extrà Europam fuerint, infra biennium à die publicationis præsentium in Romana Curia faciendæ computandos impetrare teneantur. Alioquin dicto tempore elapso, erectiones, institutiones, & quæcumque communicationes privilegiorum, facultatum, indulgentiarum, aliarumque spiritualium gratiarum, & indultorum, & aggregationes illarum vigore ipsis concessæ nullius sint roboris, & momenti, ac revocatæ, & abolitæ censeantur eo ipso.

§. 11. Erectionum autem, institutionum, communicationum, & aggregationum tam hæcenus factarum, quàm deinceps faciendarum litteræ ab ipsis Ordinibus, Religionibus, Institutis, seu Archiconfraternitatibus, & Congregationibus gratis omninò, ac nulla prorsus mercede, etiam à spontè dantibus accepta, expediri, & concedi debeant.

§. 12. Quod si Ministri aliqui, Superiores, vel Officiales quocumque nomine nuncupati Ordinum, Religionum, Institutorum, seu Archiconfraternitatum, Congregationum, & Confraternitatum hujusmodi quavis auctoritate, vel privilegio, & officio fungantur, & præsumant, contra præmissa in aliquo venire, vel facere præsumperint, erectiones, institutiones, & communicationes privilegiorum, indulgentiarum, facultatum, spiritualiumque gratiarum, & indultorum, aliorumque præmissorum concessiones, necnon aggregationes per ipsos faciendæ, seu renovandæ nullius sint roboris, & momenti, & quilibet eorundem Ministrorum, Superiorum, Officialium, & aliorum prædictorum privationis officiorum, quæ obtinent, ac inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinenda pœnam, quæ ab alio, quàm à Nobis, vel à Romano Pontifice pro tempore existente remitti non possit, incurrat eo ipso.

- §. 13. Mandat Constitutionem hanc inviolabiliter observari cum Decreto irritanti, & clausula sublata.
 §. 14. Derogat quibuscumque contrariis clausulis amplissimis.
 §. 15. Dat formam publicationis.
 §. 16. Mandat Ordinariis, ut Constitutionem prædictam solemniter publicari faciant.
 Datum Romæ apud Sanctum Petrum 7. Decembris 1604. Anno Pontificatus tertio decimo. Bullar. tom. 3. pag. 164.

ADNOTATIONES.

EA quæ pertinent ad validam erectionem Confraternitatum, illarumque institutum, onera, & privilegia adnotavi ad Formul. II. tit. de Edict. & ad Formul. XI. tit. de Licent. hic autem addo.
 2. Quod Officiales, seu Rectores Confraternitatum pro administratione salarii aliquod recipere non debent, sed gratis officium fideliter exercere, Gavant. in Manual. Episc. verb. Confraternitates num. 13. quem sequitur Franc. de Eccles. Cathedr. cap. 25. num. 286.
 3. Secundò, quod Jurispatronatus spectans ad Confraternitatem laicalem, dicitur laicale, nec cadit sub reservationibus Nicol. lucubr. Can. lib. 3. tit. 38. n. 1. vers. Præterea.
 4. Tertio, quod Confraternitates, & cætera loca pia tenentur contribuere pro victualibus Visitatoris, Sac. Congr. Concilii in Bojanen. 14. Decembris 1654. pro rata exceptis Hospitalibus, ut declaravit partibus auditis altera Sac. Congreg. Episcoporum in Civitatis Castellanae 28. Novembris 1687. Et non obstantibus consuetudine contraria non contribuendi, ut iterum partibus auditis declaravit Sac. Congr. Concilii in Signina 2. Augusti 1670.
 5. Quod Cappellani Confraternitatum non debent ab Episcopo sine causa amoveri reluctantibus Confratribus, ut censuit Sac. Congr. Episcop. in Forosempronien. 3. Octobris 1692.

Gregorii XV. Constit. IX.

De electione Conservatorum.

SUMMARIUM.

- 1 Conservatores Regularium non possunt erigere Tribunal.
- 2 Conservatores Societatis Jesu, & Religionis Hierosolymitanae sunt Judices.
- 3 Conservatores non possunt subdelegare seu alium substituere.
- 4 Conservatores non possunt recusantes solvere Decimas compellere.
- 5 Conservatores Regularium, si sint Presbyteri Sæculares, tam in Civilibus, quàm in Criminalibus subjiciuntur loci Ordinario.
- 6 Conservatores possunt allegari suspecti.
- 7 Conservatores non procedunt in causis injuriarum notiarum, nisi præcedenter eis constet per probationes.
- 8 Referuntur resolutiones Congregationis Deputatae de anno 1648. circa facultates Conservatorum, & n. 10. 11. 12. 13. 14. 15. & 16.
- 9 Vicarii Generalis Episcopi, & Capituli eligi possunt in Conservatores.

GREGORIUS EPISCOPUS &c.

Sancitissimus &c.

- §. 1. **S** Revocavit, ac nullas, & invalidas decrevit omnes, & quascumque Judicum Conservatorum electiones, nominationes, seu deputationes tam in vim litterarum Conservatoriarum juxta formam in quinte no Cancellariæ descriptam, quàm in vim quorumcumque privilegiorum perpetuò, vel ad tempus nondum elapsum, Apostolica auctoritate concessorum, seu aliàs quocumque jure, vel titulo hætenus factas pro quibuscumque Conventibus, Capitulis, Militiis, etiam Sancti Joannis Hierosolymitani, Congregationibus, Collegiis, Ordinibus, Monasteriis, Hospitalibus, aut aliis quibusvis piis tam Sæcularibus, quàm cujusvis Ordinis, etiam Mendicantium, seu Instituti, vel Societatis Regularibus, locis quantumvis exemptis, etiam de necessitate experimentis, seu illorum personis cujusvis qualitatis, seu conditionis existant.
- §. 2. In futurum verò Sanctitas Sua hac generali, & perpetuò valitura Constitutione statuit, & decrevit, ut Judices Conservatores hujusmodi, sive principales, sive subrogati, eligi, nominari, aut deputari non possint, nisi non solum habeant qualitates requisitas, & descriptas in Constitutione simil. record. Bonifacii Papæ VIII. etiam Prædecessoris sui, quæ incipit *Statutum*; itaut vel Dignitate Ecclesiastica præditi, vel personatum obtinentes, vel Ecclesiarum Cathedralium Canonici existant: Sed etiam in Conciliis Provincialibus, aut Diocesanis, juxta Decretum Concilii prædicti, Judices electi, seu designati sint.
- §. 3. Quodque deinceps litteræ Conservatoriæ per Sedem Apostolicam concedendæ suprascriptis tantum dirigantur, & si quæ litteræ aliter expedientur, illæ, ac deputationes hujusmodi, omniaque exinde sequenda nullius sint roboris, vel momenti.
- §. 4. Et nihilominus, qui fecus, quàm juxta formam superius præscriptam, Conservatores hujusmodi cum effectu eligere, nominare, seu deputare, aut electis, nominatis, seu deputatis uti ausi fuerint, Regulares quidem voce activa, & passiva sint ipso jure privati, adeout habilitationem à nemine, præterquam a Romano Pontifice consequi valeant; reliqui verò aliis pœnis arbitrio Sanctitatis Suae coerçantur, & prædictorum omnium Conventus, Monasteria, ac loca hujusmodi, eorumque personæ, ac bona careant Conservatore ad annum, itaut illorum Cause, interea coram locorum Ordinariis dumtaxat cognosci, ac diffiniri debeant.
- §. 5. Cæterum, ut latius pateat Conservatorum hujusmodi deligendorum facultas, Sanctitas sua admonitos voluit omnes locorum Ordinarios, ut in Synodis Provincialibus, aut Diocesanis quamplures personas ex habentibus qualitates in prædicta Constitutione ejusdem Bonifacii Prædecessoris contentas, & alioquin ad id aptas designari procurent, & si aliquem interim ex designatis morti contigerit, substituatur Ordinarius loci cum consilio Capituli alium in ejus locum, usque ad futuram Provinciale, aut Diocesanam Synodum.
- §. 6. Insuper Sanctitas Sua in hærendo hac in parte Decreto similis recordationis Gregorii Papæ XIII. etiam Prædecessoris sui, statuit, & ordinavit, ut Regulares, ac personæ hujusmodi in Italia infra duos, extrà Italiam verò infra:

infra sex menses à die publicationis in Urbe præsentis Constitutionis inchoandos debeant sibi eligere, seu assumere Conservatores juxta formam superius propositam.

- §. 7. Ejusque electionis, seu assumptionis documentum infra tempus hujusmodi penes Acta Curie Ordinariorum exhibere, & dimittere teneantur, alioquin eo termino elapso, quamdiu Conservatores secundum formam præsentis Constitutionis non elegerint, coram eisdem Ordinariis conveniantur.
- §. 8. Quodque Conservatores hujusmodi semel legitimè deputati, nisi ex legitima causa à Sede Apostolica, aut locorum Ordinariis, prout iisdem Regularibus, & aliis supradictis libuerit, approbanda, durante quinquennio à die deputationis, amoveri, aut mutari nullatenus possint, aut valeant.
- §. 9. Ad hæc statuit Sanctitas Sua, ut coram ipsis Conservatoribus Regulares, ac personæ suprascriptæ conveniri quidem, aut trahi debeant, sed alios convenire, aut trahere non possint, itaut memorati Conservatores in causis, in quibus Regulares, & alii actores fuerint, nullam prorsus jurisdictionem habeant, sed iis tantum, in quibus rei extiterint, neque extra Civitates, seu Dioceses, in quibus fuerint deputati, contra quoscumque procedere præsumant.
- §. 10. Si qua verò inter Judices Conservatores hujusmodi, & locorum Ordinarios controversia super competentia jurisdictionis orta fuerit, nequaquam in causa procedatur, donec per Arbitros in forma juris electos super jurisdictionis competentia fuerit judicatum.
- §. 11. Quod si qui Conservatores sive in hac parte, sive aliàs quomodolibet suos limites excesserint, per annum ab officio Conservatoris hujusmodi suspensi sint, & pars, quæ hoc fieri procuraverit, sententiam excommunicationis incurrat juxta formam alterius Constitutionis ejusdem Bonifacii Prædecessoris, quæ incipit: *Hac Constitutione*; quam Sanctitas in omnibus, quæ præsentis Constitutioni non adversantur, innovavit, & innovat.
- §. 12. Per hoc tamen non intendit Sanctitas Sua prohibere, quominus Regulares, & alii supradicti in casibus à jure permissis petant Judicem non suspectum à Principibus, seu Magistratibus sæcularibus; dum tamen hæc tria copulativè concurrant: Videlicet, ut Regulares, & alii sint actores, non autem rei; utque agant contra Laicum, non autem contra Ecclesiasticum, vel aliàs à jurisdictione sæculari exemptum; atque ut causa, in qua Judex deputatur, fuerit prophana, non autem Ecclesiastica, & in ea juxta Sacrorum Canonum dispositionem, Laicus, ut præfertur, eligendus, Judex competens existat.
- §. 13. Observantiam præmissorum præcipit cum Decreto irritanti.
- §. 14. Contrariis quibuscumque plenissimè derogat, (*& sequitur publicatio.*)
- Datum Romæ 20. Septembris 1621. Pontificatus nostri anno primo, *Bullar.*
tom. 4. pag. 80.

Sequitur Dubium super dicta Constitutione exortum cum sua declaratione.

IN Constitutione de Conservatoribus edita san. mem. Gregor. XV. ex sententia Sacr. Congr. Concilii inter cætera statutum est, ut coram Conservatori-
bus

bus Regulares conveniri quidem, aut trahi debeant, sed alios convenire, aut trahere non possint, itaut memorati Conservatores in causis, in quibus Regulares, & alii actores fuerint, nullam prorsus jurisdictionem habeant, sed in iis tantum, in quibus rei extiterint.

Dubitatur nunc: An per hæc verba sublata sit facultas, quam habent Conservatores defendendi Regulares, & alios à manifestis injuriis, & violentiis, quæ illis de facto inferuntur, dum à suis possessionibus dejiciuntur, & propriis bonis uti, ac frui impediuntur.

Sacra Congreg. Card. Concilii Trid. Interpretum censuit ejusmodi verbis minime sublata fuisse facultatem, quam habent Conservatores defendendi Regulares à manifestis injuriis, ac violentiis; dummodò observent formam præscriptam in Constitutionibus Innocentii IV. & Bonifacii VIII. relatis in c. 1. & final. de offic. deleg. in 6.

G. Card. de Torres.

Prosper Fagnanus Sac. Congreg. Secretarius.

ADNOTATIONES.

1. **C**onservatores deputati ad formam hujus Constitutionis, Tribunal tenere, seu erigere non possunt, quia eorum potestas vertatur circa extrajudicialia, & ut compeſcant volentes opprimere privilegiatos; possunt tamen Notarios quoties his opus habent assumere sibi bene viſos, Card. de Luc. de jurisd. discurs. 4. nu. 14. ubi post nu. 2. refert Decretum Sac. Congreg. Concilii emanatum in una Faventina 17. Decemb. 1667.
2. Conservatores tamen Religionis Societatis Jesu, & Hierosolymitanæ, quæ habent Indulta ampliora, nec revocata, nisi in ea parte, & causis, in quibus sunt Actores, dicuntur Judices, quia habent facultates cognoscendi omnes causas, in quibus hujusmodi Regulares sunt rei, ut firmat de Luc. de Regular. disc. 51. n. 1. 2. & 15. & disc. 52. n. 11. & de jurisd. disc. 49. n. 7.
3. Conservatores Regularium subdelegare, seu alium substituere non possunt, ut dicit idem Cardin. de Luc. de Regular. disc. 1. num. 33. vers. hujusmodi, Nicol. Lucubr. Can. lib. 1. tit. 29. nu. 13. except. 3. nisi in litteris per Papam id expresse eis concedatur, Tondut. de prævent. part. 2. cap. 59. num. 23.
4. Conservatores non possunt recusantes solvere Decimas compellere, quia in his, quæ judicalem discussionem, & in-

daginem requirunt, non possunt se ingerere, sed coram Ordinario Debitores conveniendi sunt; cum hic non agatur de manifesta injuria, & violentia, ad quas restringitur eorum delegatio, Nicol. ibid. except. 107.

5. Conservatores quando sunt Presbyteri sæculares, tam in Civilibus, quam in Criminalibus, seu mixtis subjiſciuntur loci Ordinario, ut absolute respondit Sac. Congreg. Concilii in Faventina 17. Decembris 1667. ad quartum apud Card. de Luc. de jurisd. disc. 4. num. 2.

6. Conservatores licet procedant solum in causis notoriis injuriarum, adhuc allegari possunt suspecti, & recusari, ut firmat Barboſ. de Offic. & Potest. Episc. alleg. 106. num. 32. nisi notorium esset permanens, Pasqualig. ad Lauret. de Franchi. contrav. par. 1. nu. 851. ubi quod ubi casus contingat eligendi sunt Arbitri, qui judicent de causis suspensionis, Concil. Trid. sess. 14. cap. 5. de Reform.

7. Conservatores in forma communi constituti non possunt procedere, neque in causis injuriarum notiarum, nisi in primis saltem summarie ipsis constet de ista qualitate fundante eorum jurisdictionem, per probationes etiam per ipsosmet receptas, Tusch. litt. C. conclus. 760. nu. 3. & 4. quem falso in alio loco citat Tondut. de prævent. par. 1. cap. 59. nu. 8. vers. Verissimum.

8. Præ-

3. Præterea quia de hac Conservatorum materia prodierunt nonnullæ declarationes Congregationis specialiter deputate ab Innocentio X. de anno 1648. inter Episcopum Angelopolitanum, & PP. Societatis Jesu, quas refert per extensum Tondut. de prævent. part. 3. cap. 3. hic eas addere ad ornatum non piguit, in qua causa ex parte Episcopi querebatur.

9. PRIMO. An in casu quo Episcopus præcipiat Decreta aliqua Concilii Tridentini à Regularibus observari, & executioni demandari, Regulares quicumque etiam Societatis Jesu, sub prætextu, quod hujusmodi præcepta infringant sua privilegia, possint eligere Conservatores; Congregatio respondit, si Episcopus præcipiat Regularibus etiam Societatis Jesu, ut Decreta aliqua Concilii Tridentini observent, ac exequantur, illis casibus, in quibus per ipsum Concilium, vel Constitutiones Apostolicas, Regulares exempti subjiciuntur jurisdictioni, & correctioni Episcopi, minimè licere ipsis Regularibus ob eam causam Conservatores eligere.

10. SECUNDO. An quando Ordinarius procedit juris ordine servato adversus Regulares prædictos, in casibus, in quibus per Concil. vel Constitutiones Apostolicas ipsi subjiciuntur, possint Conservatores Judices assignare? Ut ad proximum non posse.

11. QUINTO. Utrum Constitutio fel. rec. Gregor. XV. circa Conservatores Regularium publicata anno 1621. cum declarationibus Em. Sac. Congr. Concil. Trident. Interpretum desuper editis, eque afficiat, & comprehendat Religiosos Soc. Jesu, ac reliquos Regulares, ita ut omnia alia prædictæ Societatis privilegia fuerint reducta ad terminos dictæ Constitutionis &c. Respondit, hujusmodi Constitutionem cum declarationibus, ut præceditur, editis, æquè afficere Religiosos Soc. Jesu, atque aliorum Ordinum, & Conservatores ad illius præscriptum esse eligendos, non obstantibus quibusvis privilegiis, quibusque omnia sunt reducta ad terminos ipsius Constitutionis.

12. SEXTO. An Regulares prædicti gravati ere alieno, vel ad ratiocinia, vel Testamentorum Executores,

possint conveniri coram Ordinario, si Conservatores non nominaverint intra tempus habile ab Ordinario præscriptum Respondit, Regulares in causis præfatis coram Ordinario loci esse conveniendos, si ad præscriptum Constitutionis san. mem. Gregorii XV. Conservatores non elegerint ipsumque electionis documentum intra præscriptum tempus in actis Curie ipsius Ordinarii non exhibuerint.

13. DECIMOTERTIO. An Conservatores nominati, & electi à Regularibus prædictis ante exercitium suæ jurisdictionis, teneantur electionis authenticum documentum exhibere coram Ordinario sub pœna nullitatis actuum? Respondit, Utrique teneri.

Ex parte autem Religiosorum Soc. Jesu inter alia plura, (quo ad Conservatores) proponebatur.

14. SEPTIMO. An facultas eligendi Conservatores concessa Societati à Gregorio XIII. suffragetur in illis locis, in quibus non adsunt Judices Synodales. Respondit, Ubi non adsunt Judices Synodales, privilegium Gregorii XIII. quo ad hoc ut Societas non teneatur ea illis eligere Conservatores, dummodo tamen in reliquis servetur forma Constitutionis Gregor. XV. hac de re editæ.

15. OCTAVO. An Conservatores Societatis, Vicarios generales Episcoporum auctoritate Apostolica, per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas compellere possint virtute Bullæ Gregorii XII. &c. Respondit, Posse à manifestis injuriis, & violentiis eos compescere etiam censuris, & pœnis Ecclesiasticis. Datum Romæ 16. Aprilis 1648.

16. Hæc ibi de Conservatoribus; cætera enim dubia in dicta Causa proposita, ac resoluta, tamquam ad rem nostram non pertinentia, consultò ommissa sunt: omnia tamen in forma specifica per Innoc. X. approbata fuere, ut ibi Tondut. testatur, productione Brevis.

17. Episcopi, eorumque Vicarii possunt eligi in Conservatores Regularium: sicuti & Abbates Ordinis Regularium, qui in Synodis fuerunt Judices designati Barbof. in Summ. decis. Apostolic. collect. 216. num. 14. & 15. Nicol. Lucubr. can. lib. 1. tit. 29. num. 11. Et quod possit eligi

etiam

etiam Vicarius Capituli Sede vacante, tenet Ricc. var. res. tom. 2. resol. 349. num. 3. aliaque plura videas apud Gavant. Manual. Episc. verb. Conservator.

Gregorii XV. Constit. XVIII.

De exemptorum privilegiis, & subiectione.

SUMMARIUM.

- 1 Regulares tenentur in eorum Ecclesiis retinere Lampadem collucentem an-

te Altare Sacramenti, nec suppletur per Lampadem, quæ retinetur in Choro, & n. 2.

3 Regulares coguntur ab Episcopo ad exequendam Testatoris voluntatem, etiam si Testator prohiberet rationem ab eis exigi.

4 Et quamvis Testator disponeret per verba facultativa, seu deprecativa.

GREGORIUS EPISCOPUS &c.

Inscrutabili &c.

- §. 1. **I** Sanè Tridentinæ Synodi Decretis providè cautum est nullum Presbyterum etiam Regularem posse Confessiones sæcularium, etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut Parochiale beneficium habeat, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut aliàs idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat.
- §. 2. Nec non ut in Monasteriis, seu Domibus virorum, seu mulierum, quibus imminet animarum cura personarum sæcularium præter eas, quæ sunt de illorum Monasteriorum, seu locorum familia, personæ, tam Regulares, quàm sæculares ejusmodi Curam exercentes subsint immediatè in his, quæ ad dictam Curam, & Sacramentorum administrationem pertinent, jurisdictioni, visitationi, & correctioni Episcopi, in cuius Diocesi sunt sita. Itemque, ut Episcopi universi sub obtestatione Divini iudicii, & interminatione maledictionis æternæ in omnibus Monasteriis sibi subiectis ordinaria, in aliis verò Sedis Apostolicæ auctoritate Clausuram Sanctimonialium ubi violata fuerit diligenter restituatur, & ubi inviolata est conservari maximè procurent; inobedientes, atque Contradictores per Censuras Ecclesiasticas, aliasque pœnas, quacunque appellatione postposita compescerent.
- §. 3. Atque ut Regulares in Ecclesiis suorum Ordinum prædicare volentes, se coram Episcopis præsentare, & ab eis benedictionem petere teneantur; in Ecclesiis verò quæ suorum Ordinum non sunt, nullo modo prædicare possint sine Episcopi licentia: contradicente autem Episcopo nulli, etiam in suorum Ordinum Ecclesiis, prædicare præsumant.
- §. 4. Verùm quia experientia compertum est, Ecclesiastici regiminis rationem postulare, ut decretis ejusmodi aliquid adjungatur: matura deliberatione nostra, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, hac generali, ac perpetuò valitura constitutione decernimus, statuimus, & declaramus, ut deinceps tam Regulares, quàm sæculares, quomodolibet exempti, sive animarum curam personarum sæcularium Monasteriis, seu Domibus Regularibus, sive sæcularibus incumbentem exercent, sive aliàs Ecclesiastica Sacramen-

menta, aut unum ex illis ministrent prævia Episcopi licentia, & approbatione; sive quoquomodo in dictæ curæ exercitio, aut in eorundem Sacramentorum, vel alicujus ex illis administratione de facto absque ulla auctoritate se ingerant: in his quæ ejusmodi Curam, seu administrationem concernunt, omnimodæ jurisdictioni, visitationi, & correctioni Diocesani Episcopi tamquam Sedis Apostolicæ delegati, plenè in omnibus subiciantur. Ad hæc tam Regulares, quàm Sæculares hujusmodi nulli privilegiis, aut exemptionibus tueri se possint, quominus, si deliquerint circa personas intra septa degentes, aut circa clausuram, vel circa bonorum administrationem Monasteriorum Monialium etiam Regularibus subjectarum, ab Episcopo loci similiter tamquam ad hoc Sedis Apostolicæ Delegato, quoties, & quando opus fuerit puniri, & corrigi valeant.

§. 5. Confessores verò, sive sæculares, sive Regulares quomodocumque exempti, tam Ordinarii, quàm Extraordinarii, ad Confessiones Monialium etiam Regularibus subjectarum audiendas nullatenus deputari valeant, nisi prius ab Episcopo Diocesano idonei judicentur, & approbationem; quæ gratis concedatur, obtineant. Sed & administrantes bona ad ejusdem Monasteria Sanctimonialium, ut præfertur, etiam Regularibus subjectarum, pertinentia, sive Regulares extiterint, sive sæculares, quomodolibet exempti, Episcopo loci, adhibitis etiam Superioribus Regularibus, singulis annis rationes administrationis, gratis tamen exigendas, reddere teneantur, ad idque juris remediis cogi, & compelli queant. Liceatque Episcopo, ex rationabili causa Superiores Regulares admonere, ut ejusmodi Confessores, atque Administratores amoveant: iisque Superioribus id facere detrectantibus, aut negligentibus, habeat Episcopus facultatem prædictos Confessores, & Administratores amovendi quoties, & quando opus esse judicaverit. Ac similiter possit Episcopus unà cum Superioribus Regularibus quarumcunque Abbatissarum, Priorissarum, Præfectarum, vel Præpositarum eorundem Monasteriorum quocumque nomine appellentur, electionibus per se, vel per alium interesse, ac præsidere; absque ulla tamen ipsorum Monasteriorum impensa.

§. 6. Ac demum habeat Episcopus, tamquam dictæ Sedis delegatus, auctoritatem coercendi, ac puniendi quoscumque exemptos tam Sæculares, quàm Regulares, qui in alienis Ecclesiis, aut quæ suorum Ordinum non sunt absque Episcopi licentia; & in Ecclesiis suis, aut suorum Ordinum non petita illius benedictione, aut ipso contradicente, prædicare præsumperint. Itaut Episcopi in suprascriptis casibus, in prænomintas personas, in præmissis omnibus, & singulis, aut circa ea quoquomodo delinquentes, quoties, & quando opus fuerit, etiam extra visitationem, per censuras Ecclesiasticas, aliasque pœnas, uti ejusdem Sedis delegati procedere, omnemque jurisdictionem exercere liberè, & licitè valeant.

§. 7. (*Et sequitur clausula præservativa, unà cum aliis derogatoriis.*)

Datum Romæ apud Sanctum Petrum 9. Februarii 1622. Pontificatus Anno 2.

Bullar. tom. 4. pag. 98.

Posita Constitutione fel. rec. Gregorii XV. de Exemptorum
Privilegiis &c. Dubitatur

1. **A**N liceat Episcopis visitare Altaria Regularium Ecclesiarum, quibus Cura Animarum personarum sæcularium non incumbit, aut loca ubi in iisdem Ecclesiis asservatur Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, vel ubi audiuntur Confessiones personarum sæcularium?
2. An Episcopi possint Regularibus præscribere, ut certis tantum in locis, ac temporibus, aut certarum personarum Confessiones audiant, vel alias illorum privilegia restringere, ac moderari in Sacramentis administrandis?
3. An facultas Episcopis per Constitutionem attributa in exemptos, tam Sæculares, quàm Regulares, intelligatur etiam tributa in personas nullius Diœcesis.
4. An eadem facultas competat inferioribus Prælati proprium territorium, ac jurisdictionem quasi Episcopalem habentibus.
5. An per eandem Constitutionem in illis verbis, *Possit Episcopus una cum Superioribus Regularibus quarumcumque Abbatissarum &c. electionibus per se, vel per alium interesse, ac præsidere*; jus Abbatissas confirmandi Episcopis attributum censeatur.
6. An Confessores Monialium ante editam Constitutionem deputati, debeant ab Episcopo examinari, & approbari.
7. An Superiores Regulares similiter ante ipsius Constitutionis publicationem electi, seu deputati, alia indigeant Episcopi approbatione pro Confessionibus Sanctimonialium sibi subjectarum audiendis?
8. An Confessiones, quas audiunt Superiores Regulares electi, seu deputati, vel confirmati post publicationem, & scientiam tenoris d. Bullæ, non obtenta Episcopi approbatione, sint nullæ, atque irritæ, necne.
9. An Regulares generaliter ab Episcopo approbati ad confessiones personarum sæcularium audiendas, censeantur etiam approbati ad audiendas confessiones Monialium sibi subjectarum.
10. An Regularis ad audiendas Confessiones Monialium unius Monasterii ab Episcopo approbatus, Confessiones Monialium alterius Monasterii audire possit.
11. An confessores Regulares extraordinarii semel ab Episcopo deputati, & approbati ad audiendas Monialium confessiones pro una vice infra annum ad præscriptum Sacri Conc. Trid. possint virtute dictæ approbationis pluries tamquam confessores extraordinarii, earundem confessiones audire absque novi Episcopi licentia.
12. Cum in eadem Constitutione statutum sit, ut liceat Episcopo ex rationabili causa Superiores Regulares admonere, ut amoveant Confessores Monialium, atque Administratores bonorum ad earundem Monialium Monasteria pertinentium: nisque Superioribus si facere detrectantibus, habeat Episcopus facultatem prædictos Confessores, & Administratores amovendi quoties, & quando opus esse judicaverit: An ejusmodi causam Episcopus Superioribus Regularibus significare teneatur.
13. An eadem Constitutio qua parte supponit Episcopi jurisdictioni Regulares delinquentes circa personas degentes intra septa Monasteriorum Monialium, aut

aut circa Claufuram, vel bonorum administrationem eorundem Monasteriorum, habeat locum in omnibus delictis, an verò solum in notoriis, & cum scandalo populi?

Sacra Congregatio Cardinalium Conc. Trid. Interpretum censuit Confit. san. mem. Greg. XV. de exemptorum privilegiis, nequaquam subicere Regulares exemptos quibus Cura animarum personarum sæcularium non incumbit, Episcoporum jurisdictioni in his, quæ Sacramentorum administrationem concernunt, nisi cum in Sacramentis personis Sæcularibus administrandis iidem Regulares delinquunt: ac propterea.

Ad 1. Dubium respondit, Episcopis non licere in vim ejusdem Constitutionis visitare Altaria Ecclesiarum Regularium, quibus non incumbit animarum cura personarum Sæcularium, nec loca, ubi in iisdem Ecclesiis asservatur SS. Eucharistiæ Sacramentum, vel ubi Confessiones personarum Sæcularium audiuntur.

Ad 2. Hac in parte Constitutionem nihil novi juris induxisse, nec ullam novam auctoritatem Episcopis in Regulares attribuisse: ideoque in vim ipsius Constitutionis non posse Episcopos Regularibus præscribere, ut certis tantum in locis, ac temporibus, aut certarum personarum confessiones audiant, vel aliàs illorum privilegia in Sacramentis administrandis restringere, aut moderari. Quod si aliunde Episcopis hujusmodi facultas competat, illam non fuisse ab eadem Constitutione sublatam.

Ad 3. Censuit ejusmodi facultatem non intelligi tributam Episcopis in personas nullius Diocesis.

Ad 4. Non competere.

Ad 5. Jus confirmandis Abbatissas minimè fuisse Episcopis per Constitutionem attributum.

Ad 6. Confessores quidem extraordinarios Monialium nullatenus posse post Constitutionem illarum Confessiones audire, nisi prius ab Episcopo Diocesano idonei judicentur, & approbentur: Ordinarios verò confessores ante Constitutionis publicationem deputatos posse, durante triennio ab eorum deputatione inchoando, pergere in confessionibus Sanctimonialium audiendis absque alio examine, & approbatione Episcopi. Quod si contingat, ut illorum facultas à Sede Apostolica ultra triennium profogetur, tunc debere eos ab Episcopo examinari, & approbari.

Ad 7. Superiores Regulares electos, seu deputatos ante ipsius Constitutionis publicationem, quibus alioquin facultas competat audiendi confessiones Monialium sibi subjectarum, posse, durante eorum officio, pergere sine alia Episcopi approbatione in confessionibus audiendis illarum tantum, quæ spontè, ac proprio motu id ab eis petierint. At verò eos, qui post Constitutionem eligentur, aut quoquo modo deputabuntur, vel qui in eorum officiis, seu dignitatibus expleto jam tempore à Constitutionibus cujusque Ordinis, vel aliàs legitimè præfinito, ad aliud tempus confirmabuntur, nequaquam posse Sanctimonialium confessiones audire, nisi prius à Diocesano Episcopo idonei judicati, & approbati fuerint.

Ad 8. Confessiones hujusmodi nullas, atque irritas esse.

Ad 9. Regulares generaliter ab Episcopo approbatos ad confessiones personarum Sæcularium audiendas, nequaquam censeri approbatos ad audiendas confessiones Monialium sibi subjectarum; sed egere quoad hoc speciali Episcopi approbatione.

Ad

Ad 10. Regularem ad audiendas Confessiones Monialium unitis Monasterii ab Episcopo approbatum, minimè posse audire Confessiones Monialium alterius Monasterii.

Ad 11. Confessores extraordinarios semel deputatos atque approbatos ab Episcopo ad Monialium Confessiones pro una vice audiendas, haud posse pluries in vim approbationis ejusmodi illarum Confessiones audire: sed ab Episcopo toties esse approbandos, quoties casus deputationis contigerit.

Ad 12. Non teneri ejusmodi causam significare Superioribus Regularibus; sed hoc relinqui arbitrio, & prudentiæ Episcoporum, quorum conscientiam Sac. Congregatio seriò oneravit, ne facultate sibi hac in parte attributa quomodo abutantur, ejus rei in districto Dei iudicio rationem reddituri.

Ad 13. Constitutionem habere locum in omnibus delictis, non autem in notoriis tantum, & cum populi scandalo.

Quæ Sacræ Congregationis responsa ad se relata sel. rec. Gregorius XV. & S. D. N. Urbanus VIII. in omnibus approbarunt. *Bullar. tom. 4. pag. 101. & 102.*

A Card. Caetanus.

Prosper Fagnanus Sac. Congreg. Secret.

Subsequuntur alia duo Dubia ab eadem Sac. Congregatione declarata, & à Sanctissimo D. N. approbata.

AN Regularis absque legitima licentia accedens ad Monasterium Monialium Regularibus subjectarum, ibique in loco colloquiis destinato cum Moniali colloquens, à Diocesano Episcopo, tamquam Sedis Apostolicæ Delegato, coerceri, & puniri possit.

Sac. Congreg. Cardinalium Conc. Trid. interpretum censuit, posse. Quam Congregationis sententiam S. D. N. Urbanus VIII. ad se relata approbavit.

An liceat Episcopo in vim Constitutionis sa. mem. Greg. XV. de exemptor. privilegiis, punire Regulares, qui ad Abbatissæ electionem procedunt ante tempus ipsi Episcopo significatum, aut die electionis eidem nullatenus prænunciata?

Sac. Congregatio &c. respondit, Regulares ex eadem Constitutione ita demum teneri Episcopo significare diem electionis Abbatissæ, & eum usque ad præfinitum tempus expectare, si antea ipse expressè declaraverit, se uti velle facultate sibi hac in parte attributa, Abbatissarumque electionibus per se, vel per alium interesse, ac præsidere. Post eam verò declarationem licere Episcopo animadvertere in Regulares, qui ante tempus significatum, aut die electionis eidem non prænunciata, ad Abbatissæ electionem procedunt. *Bullar. d. tom. 4. pag. 102.*

C. Card. de Torres.

Prosper Fagnanus Secretarius

ADNO-

ADNOTATIONES.

Praeter casus supra à Sacr. Congreg. declaratos, & alios quos retuli Adnot. ad Tit. de Licentiis Formul. XX. poterit Episcopus contra Regulares exemptos procedere, si non retineant lampadem collucentem ante Altare Sanctissimi Sacramenti, quia cum sit defectus magnæ ir-reverentiæ, cure erit illi, auctoritate si-bi delegata à Sacr. Conc. Trid. in Decreto de evitand. in celebrat. Miss. sess. 22. ut ab eis om-nino retineatur.

2. Neque talis defectus suppleretur, si forte lampas ardens diu, noctuque existeret in Choro è conspectu Altaris Majoris; quia retinenda est prope, & ante Altare Tabernaculi in quo servatur Eucharistia, prout Sacra Rituum Congregatio respondit Generali Capuccinorum de hoc sciscitanti 22. Augusti 1699.

3. Item Regulares exempti cogi possunt ab Episcopo ad exequendam Testatoris voluntatem, si illis commissæ fuerit executio sive distributio reddituum, aliorumve honorum Hæreditatis, vigore Clementinæ Religiosis de testamentis editæ in Concilio generali Viennensi, quæ clara est, & tradit Fagnan. in cap. tua Nobis de Testam. n. 19. & 49. Passerin. de stat. hom. tom. 2. qu. 186. art. 2. n. 121. Capon. discept. 84. n. 7. ubi ait conclusionem veram esse etiam si

Testator rationem exigi prohibuisset, Tambur. de jur. Abbat. tom. 1. disp. 15. quest. 7. n. 23. Ventrigl. in prax. par. 1. annot. 48. §. unico n. 116.

4. Vel verba Testamenti sonarent in potestatem facultativam, puta si Testator onus injungeret Executori Religioso per verba, possit, & valeat: nam in ultimis voluntatibus verba hæc important obligationem, & necessitatem, ut dixit Rot. in Romana quartæ 4. Junii 1668. §. si quidem coram Bourlemont.

Et idem dicas de verbo precario rogo, placeat, &c. quia hæc pariter habent vim jussionis, & præcepti, ad instar fidei-commissi, Rot. dec. 78. nu. 4. post Tondut. de penson.

Ad Decretum circa promovendos ad Primam Tonfuram, vel ad Minores Ordines in Regno Neapolitano.

SUMMARIUM.

1. Episcopi Regni Neapolitani in litteris Dimissoriis Episcopum certum tenentur designare, alias pœnas Decretis incurrunt, & n. 2.
3. Possunt tamen externos ordinare cum Dimissoriis suorum Ordinariorum, licet non sint directæ ad certum Episcopum.

Sacra Congregatio Cardinalium negotiis Jurisdictionalibus Regni Neapolitani præposita, justis, gravibusque adducta causis de S. D. N. Gregorii XV. speciali ordine vivæ vocis oraculo desuper habito expressè præcipit, & mandat omnibus, & singulis ejusdem Regni Archiepiscopis, & Episcopis, & aliis inferioribus legitimam facultatem habentibus, ut tanquam ad primam Tonfuram, sive ad Minores Ordines aliquem promoveant: Parocho, seu alteri, cui magis expedire videbitur, committant, ut nominibus, & desiderio eorum, qui volunt promoveri, publicè in Ecclesia propositis, de ipsorum Ordinandum natalibus, ætate, moribus, & vita à fide dignis diligenter inquirent, & literas testimoniales ipsam inquisitionem factam continentes, ad ipsum committentem quamprimum transmittant, ut tam ex his, quàm ex aliis ex Sac. Conc. Trid. præscripto in cap. 8. sess. 23. de Refor. adhibendis diligentis sibi constet promovendos illis qualitatibus esse præditos, quæ per Sac. Canones, idemque Concilium requiruntur. Quod & observent in litteris dimissoriis concedendis, in quibus exprimat præfatas diligentias præcessisse. Dictæ au-

tem litteræ dimissoriæ *uni tantum*, & certo *Ordinario ad electionem concedentis* in posterum dirigantur, & pluribus directæ nullæ sint. Prædictaque vult inviolabiliter observari, donec aliud fuerit ordinatum. Si quis verò contra formam præsentis Decreti fuerit ad primam Tonsuram sive ad Minores Ordines promotus, ab executione collati, & à susceptione superioris Ordinis *perpetuò suspensus sit*, & ulterius condignis pœnis puniatur. *Ordinans verò, vel dimissorias concedens*, ultra Divinam ultionem, quam incurret, à collatione *Ordinum per annum suspensus sit eo ipso*. Præterea iisdem Ordinariis enixè injungit, ut Decreta per Sacros Canones, Sacrumque Concilium Tridentinum, & Apostolicas Constitutiones, quoad delationem habitus Clericalis, & Tonsuræ, servitiumque Ecclesiæ præstandum, ita curent per hujusmodi Clericos observari, & in eos qui contrafecerint, statutis per ea pœnis animadvertere, ut ipsi nequeant de damnabili, circa hæc, negligentia redargui.

Romæ decimo Kal. Julii 1623.

Octavius Card. Bandinus.

Laurentius Campegius.

ADNOTATIONES.

1 *UNI TANTUM, ET CERTO ORDINARIO*. Advertere hic debent Episcopi aliique Ordinarii Regni Neapolitani, quod ipsi, & non dimittendi debent in litteris Dimissoriis Episcopum certum designare, alias enim si unum, & determinatum Episcopum non præscribant, sed in album illius nomen relinquant, pœnas hic in Decreto comminatas incurrant eo ipso.

2. Neque eos excusare poterit, quod ita per consuetudinem fuerit introductum, de qua testatur Nicol. *in flosc. ver. Dimissorie n. 2*. Quia Nicol. ab usum refert, sed non laudat, neque licitum esse probat. Cum etenim Decretum Apostolicum imperativè mandet, *quòd uni tantum, & certo Ordinario ad electionem concedentis dirigantur*, nulla prorsus eis remanet facultas aliter faciendi, ut bene observat *Ventrigl. in prax. adnot. 23. §. 2. n. 5*. ubi assertam Regni consuetudinem concedendi Dimissorias *in bianco* damnat, & Episcopos pœnas

non effugere probat; quia verba Decreti (per quæ forma data est) clara sunt, & qui contra formam Decreti hujus, Dimissorias concedit, à collatione Ordinum per annum remanet suspensus, sic ibi litteraliter Papa præscribit.

3. Possunt tamen Episcopi dicti Regni exteros ordinare cum Dimissoriis suorum Ordinariorum, licet non sint directæ ad certum Episcopum, quia Decretum hoc non comprehendit, ut decisum fuisse testatur Nicol. *lucubr. can. lib. 1. tit. 11. de tempor. ordin. num. 38*. neque illos, qui ordinantur Sacris vigore Brevis, in Nicol. *ex Decreto Sacr. Congreg. ibid.*

Ad Decretum generale Sacr. Congreg. Episcoporum & Regularium super accessu Regularium ad Monasteria Monialium ab Urbano VIII. approbatum.

SUMMARIUM.

1 *Pater Amen. de delict. & pœn. resutatur, & n. 2.*

Cum

CUM aliàs de anno 1590. per Sac. Cardinalium negociis Regularium Præfe-
 torum Congregationem de mandato fel. rec. Sixti V. circa accessum Re-
 gularium cujuscumque Ordinis ad Monialium Monasteria fuerit decretum,
 quod nulli Religioso cujuscumque Ordinis, gradus, & qualitatis existat (Super-
 iore, cui Monasterii, seu Domus cura incumbit, visitatore, vel visitatoribus,
 Confessarioque Ordinario, & Extraordinario, cum ad tempus deputabitur, dum-
 taxat exceptis) liceat absque licentia expressa ejusdem Sacræ Congregationis ac-
 cedere ad Monasteria, seu Domos quarumcunque Monialium, vel fororum,
 sive sui, sive alterius cujuscvis Ordinis ad colloquendum, sive tractandum cum
 eis. Quod si aliquando mandato sui Superioris aliquos Religiosos ad prædican-
 dum Verbum Dei, vel ad celebrandas Missas in ipsarum Monialium, seu Soro-
 rum Ecclesiis, sive Oratoriis exterioribus, sive extra Clausura existentibus, mit-
 ti contigerit, ne dicti Religiosi ullo quæsito colore Moniales, Sorores, aut
 quamlibet aliam personam intra Clausuram degentes alloqui possint, *sub pœnis
 privationis Officiorum, ac vocis activæ, & passivæ ipso facto incurrendæ*, aliis-
 que ejusdem Sac. Congreg. arbitrio, fueritque postmodum declaratum etiam
 Equites Sancti Joannis Hierosolymitani sub eodem Decreto comprehendi, &
 quoscumque contrafacientes ab alio, quàm ab Apostolica Sede, aut à Sacra
 Congregatione absolvi, & rehabilitari non posse; Amplissimi ejusdem Sacræ
 Congregationis Patres, Decreta hujusmodi innovanda, & inviolabiliter obser-
 vanda statuerunt. Verùm quia experientia compertum est, interdum ob pias,
 & rationabiles causas, easque ita ferente casu repentinas, ut ab eadem Sacra
 Congregatione licentiam expectari summè incommodum, vel inutile sit, Re-
 gularibus supradictis colloquendi cum Monialibus sibi attinentibus necessitatem
 obvenire; facto verbo cum Sanctissimo D. N. Urbano VIII. & de Sanctitatis Suae
 expresso ordine, & mandato, facultatem tribuerunt in posterum locorum Or-
 dinariis, ut quatenus sibi visum fuerit in Domino expedire, licentiam concede-
 re possint per quatuor vices ad summum quolibet anno cuicumque Regulari, ut
 Moniales sibi in primo, & secundo tantum consanguinitatis gradu conjunctas
 convenire, & alloqui possint. *Id verò non aliter, quàm servata ad unguem for-
 ma infra scripta. Ut id nullo modo liceat diebus festivis, aut in Adventu, Qua-
 dragesima, feria sexta, Sabbato, & vigiliis; prædictaque licentia obtenta ab
 Ordinario, & ab alio, ad quem spectat eam concedere, consignetur Confessario
 Ordinario Monasterii, qui penes se retinere debeat, isque associet, & presens sit,
 & Auditrices de more, non autem aliæ assistant, prædictaque licentia pro die,
 & hora certa, & in scriptis concedatur, in librisque Cancellariæ ejusdem Ordina-
 rii adnotetur.* Quod si prædicti locorum Ordinarii per plures vices, vel in ulte-
 riori gradu conjunctis, aut aliter quàm servata forma supradicta licentias conce-
 serint, vel permiserint, sciant se intentionis Sanctissimi Domini Nostri, & Sac.
 Congreg. transgressores, judiciumque reformident. Regulares autem pœnis in
 supradicto Decreto contentis, ac si nullam licentiam obtinuissent, *eo ipso se no-
 verint esse addictos*, & arbitrio Sac. Congreg. severiùs puniendos.

Romæ 13. Kal. Decembris 1623.

Declaratio Sacræ Congregationis Concilii Tridentini à Clemente
Papa IX. approbata super accessu Regularium
ad Monasteria Monialium .

DIE II. Maii 1669. Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Card. Conc. Trid. interpretum, habita notitia, quod nonnulli Regulares absque licentia crates Monasteriorum Monialium adire, & frequentare non dubitent, preteritentes non esse interdictum per breve tempus etiam usque ad quadrantem horæ cum dimidio, quod Horologio arenario aliquando metiuntur, Moniales, aliasque personas in Clausura existentes alloqui, & hanc opinionem tamquam tutam affirmant, disseminant, & forsitan etiam scriptis evulgent proprias graviter illaqueantes conscientias, & scandala confoventes; ad huiusmodi perniciosos errores eliminandos, opinionem prædictam improbens, rejiciens, ac damnans declaravit Regulares cujuscumque Ordinis, Militiæ, Societatis, Congregationis, & Instituti, etiam de quibus specialis mentio foret habenda, qui ad Monasteria Monialium, quamvis ab Ordinariis jurisdictione quomodolibet exempta, ac etiam in his Regularibus subiecta, vel aliis speciali mentione digna, absque legitima facultate accedunt, colloquendo etiam per quodcumque modicum temporis spatium, cum Monialibus, aut aliis intra Clausuram degentibus, peccare mortaliter, eosque sub excommunicationis, privationis vocis Activæ, & Passivæ, aliisque contra Regulares accedentes sine licentia ad Monasteria Monialium statutis penis posse ab Ordinario tanquam Sedis Apostolicæ Delegato coerceri. Et die 7. Junii ejusdem anni, facta relatione Sanctissimo Domino Nostro, Sanctitas Sua præsentem declarationem approbavit, ac Typis dari, & servari jussit.

A. Card. Celsus præfectus.

Loco ✠ Sigilli .

S. Brancacius Archiep. Adrianopolis Secre.

Spoletana Accessus ad Monasteria .

ET si Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum sub die II. Maii 1669. aperte declaraverit Regulares, qui ad Monasteria Monialium absque legitima facultate accedunt, colloquendo etiam per quodcumque modicum temporis spatium cum Monialibus, aut aliis intra Clausuram degentibus peccare mortaliter; hancque declarationem Sanctissimus Dominus approbaverit, ac Typis dari, servarique jussit; quia tamen nonnulli sunt, qui declarationem huiusmodi perperam interpretantes, verumque sensum subvertentes, varia consingendo sophismata, asserunt accedentes ad bonum finem non peccare mortaliter, & declarationem præfatam non obligare sub mortali contentum, ad omnem tollendam dubietatem resolvendum.

Primò. An Regulares accedentes ad colloquendum cum Monialibus sine licentia Episcopi peccent mortaliter.

Secundò. An peccent mortaliter saltem stante dicta declaratione Sac. Congregationis Concilii cum approbatione Sanctissimi .

Die .

Die 26. Novembris 1672. eadem Sac. Congr. ad utrumque respondit affirmativè, etiamsi ex rationabili causa, quando non adest licentia &c.

P. Card. de Alteriis Præfectus.

Loco ✠ Sigilli.

S. Archiep. Brancacius Episc. Viterb. Secr.

Dubia super colloctione Regularium cum Monialibus ad prædictum Decretum Sac. Congregationis à Clemente IX. approbatum.

Editæ vix lege, statim illam eludere malitia excogitat; non ita pridem emanavit generale Decretum arctissime prohibens colloquia Regularium cum Monialibus, quando jam super eo varie interpretationes confingi cæperunt, aliæque nunc Bergomi suboriuntur: pro quarum resolutione supplicanti Confessarii Monialium querendo.

Primò. An Regularibus missis ad Crates Monialium pro munere prædicationis obcundo, prohibitum sit sub peccato mortali, censuris, & penis &c. immediate post cum ipsis Monialibus, absque expressa licentia ad colloquendum, immiscere sermones cum questionibus, vel dubiis spiritualibus, aut materiis ipsius Concionis.

Secundò. Antalis prohibitio intelligatur, tam de colloctione cum aliquibus Monialibus, quam cum una tantum (omnibus tamen aliis audientibus) immediate post Concionem.

Die 21. Maii 1678. Sac. Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Card. Concilii Tridentini Interpretum ad utrumque respondit affirmativè.

ADNOTATIONES.

Quamvis prædictis Decretis generalibus accessus Regularium absque Ordinarii licentia, & ad præscriptam formam Decreti Urbani Octavi expressè prohibeatur; & sophismata eorundem super illorum intelligentia toties rejecta fuerunt, adeo ut vix credibile sit, quod res cambre judicata amplius ad iudicium possit revocari; adhuc Regulares cum Sede Apostolica contendunt, & accessum præfatum ad bonum finem ipsis licitum esse autumant affirmare, & Typis publicare. Audi P. Amenum Ordin. Minor. Strictioris Observantiæ, qui opus de Delictis, & Poenis de anno 1700. Venetis evulgavit: hic inquam in Tit. quarto de delict. contr. Castitatem §. 1. numer. 15. hæc habet: Pari modo dicendum est de prædicta inhibitione Regularibus facta per Monacelli Form. Pars I.

citatum Decretum Congregationis. Si enim unus, vel alter Regularis timoræ, seu potius scrupulose conscientia cavet ab allocutione Monialium, cæteri omnes docti, & spirituales de hoc non curant. (loquor tamen de colloquio brevis, & indifferenti, & occasione, non autem de frequenti, & ad prædictum finem) & de illo sibi conscientiam non faciunt. Concludendum proinde, talem legem quoad peccatum mortale incurrendum, abrogatam ex contrario usu esse. Nec tamen intendendo (nota zelum Authoris) relaxare habenas, & ansam præbere cuivis, ut huic sententiæ fisus, accedat in differenter ad Moniales, & occasione quæstia longos, aut frequentes cum illis misceat sermones. Si quidem qui sic ageret, ratione periculi, non esset immunis à culpa mortali; sed loquor de occasione accidentali, in qua interveniente causa aliqua rationabili, puta urbanitatis, curiositatis non improbandæ, instru-

tionis dandæ, seu recipiendæ, & similium brevem sermonem haberi contingit. Talibus enim casibus Regularem non peccare firmiter teneo. Quæ opinio an sit intra limites probabilitatis contra decreta tam clara forsitan tempore opportuno judicabunt Sac. Congregatio Sancti Officii, & etiam Sac. Congregatio Indicis, si hujusmodi liber denunciatur.

2. Invigilandum propterea erit ab Episcopis, ne hujusmodi damnata doctrina ad praxim reducat, & quod illis via undequaque ad excessum quantum possibile erit, præcludatur, & ut mandatis Apostolicis pareant, & obediant, contemptores severe puniantur: Quia pœna facit sapientem, & solet dici, qui stultus fuit in culpa sapiens fit in pœna, gloss. in c. Nunciatum dist. 84. verb. in se valeat, & qui inconfideratus fuit ad loquendum, sentiat mala

Proverb. 13. Cætera in Tit. de Monialibus adnotata sunt.

Innocentii X. Constit. LV.

De subjectione Conventuum parvorum Ordinariis locorum tamquam Sedis Apostolicæ Delegatis.

SUMMARIUM.

1. Regulares Ordinis S. Francisci scilicet Min. Observantes, Reformati, & Capuccini non possunt facere contractus.
2. Religiosi Graduati, qui dicantur.
3. Superiori Regulari non creditur adesse causam, nisi probet, quando agitur actum prohibitum.

INNOCENTIUS EPISCOPUS &c.

§. 1. **U**T in parvis Regularium Virorum Conventibus à Sanctissimo D. N. Innocentio Papa X. in Constitutione, quæ incipit, *Instaurandæ*, primum suppressis, ac deinde ad ipsius Constitutionis limites ob rationabiles causas in pristinum statum Regularem restitutis, & ipsis Religionibus denuò concessis, piè, & religiosè vivatur, ac Regularia instituta quò exactius fieri potest observentur: Sanctitas Sua ex sententia Sac. Congregat. super statu Regularium, omnes, & singulos Conventus hujusmodi sic, ut præfertur, restitutos, & concessos in litteris ab eadem Sac. Congreg. expediendis nominatim exprimendos, ac personas tam Regulares, quam Sæculares in eis degentes visitationi, correctioni & omnimodæ jurisdictioni Ordinarii loci, tamquam super hoc à Sede Apostolica Delegati, præsentis Decreti tenore plenè in omnibus subjecit, ac subiectos esse declaravit, donec ipsorum redditus eò usque adaucti fuerint, ut in eis commodè sustentari valeant, & cum effectu sustententur duodecim Religiosi ad Apostolicorum Decretorum præscriptum, idque eidem Sac. Congregat. legitime consulerit, & ejus Decreto in singulis contingentibus casibus declaratum fuerit, non aliter. Interea verò voluit Sanctitas Sua, ut in eorum singulis ali debeant, & re ipsa alantur sex saltem Religiosi probatæ vitæ, ex quibus quatuor ad minus sint Sacerdotes *mature ætatis*, alioquin gratia restitutionis, & concessionis hujusmodi nulla sit, & invalida, & Ordinarii locorum in illis exequi possint, ac debeant ea omnia, quæ in aliis Conventibus itidem suppressis per eandem Constitutionem ipsis demandantur, perindè ac si gratia prædictæ restitutionis, & concessionis non emanasset.

§. 2. Insuper quia multi sunt Conventus, in quibus, etsi præfixus fuerit numerus

rus Religiosorum sufficiens ad Observantiam Regularis disciplinae, & idcirco in suppressione antedicta non fuerint comprehensi: nihilominus sive ob reddituum diminutionem, sive ob Superiorum incuriam, vel malam administrationem, sive ob carentiam Religiosorum, aeris intemperiem, vel quamcumque aliam ob causam praedictus numerus cum effectu in eis non alitur cum gravi detrimento Regularis Observantiae; Sanctitas Sua intendens huic malo remedium adhibere, omnes, & singulos ejusmodi Conventus, ut praefertur non suppressos, cujuscumque sint Ordinis, tam Mendicantium, quam non Mendicantium, Congregationis, & Instituti, etiam Societatis Jesu, aut Granciae, seu membra alterius Monasterii existentes intra fines Italiae, & Insularum adjacentium, in quibus nunc non aluntur, vel quandocumque actu non alentur saltem sex Religiosi itidem probatae vitae, quorum adminus quatuor, ut supra sint Sacerdotes maturae aetatis, eidem visitationi, correctioni, & omnimoda jurisdictioni Ordinarii loci similiter ut Sedis Apostolicae Delegati plene in omnibus praesentis pariter Decreti vigore subiectos esse statuit, decrevit, & declaravit. Caeterum quoad Conventus cum pauciori numero, quam duodecim Religiosorum erectos post diem 21. Junii 1625. & illorum subiectionem loci Ordinario Sanctitas sua voluit in suo robore permanere Decretum san. mem. Urbani VIII. jussu editum, cui per praemissa aliquatenus derogare non intendit.

§ 3. Et praedicta omnia, & singula in praesenti Decreto statuta, & ordinata voluit plenarium sortiri effectum, & executioni mandari, non obstantibus omnibus, & singulis, quae in antedicta Constitutione voluit non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae 10. Februarii 1654. *Bullar. tom. 5. pag. 530.*

B. Card. Spada.

Prosper Fagnanus Sac. Congr. Conc. Secr.

(*Et sequitur publicatio.*)

Declarationes supradicti Decreti à Sacr. Congreg. super statu Regularium editae, atque ab Alessandro VII. approbatae.

Posito Decreto fel. rec. Innoc. Papae Decimi &c. contingit dubitari de infra-scriptis.

1. An Episcopus in Conventibus suae jurisdictionis subiectis possit Abbates Priores, Guardianos, & alios Superiores locales deputare, & familiam constituere.
2. An possit Episcopus à praedictis Conventibus Religiosos amovere.
3. An Regulares eorumdem Conventuum compelli possint ab Episcopo ad exhibendos libros introitus, & exitus, & reddendas rationes administrationis.
4. An Episcopus in eisdem Conventibus seingerere possit in his, quae Regularem disciplinam concernunt.
5. An Ecclesiae dictorum Conventuum, & Cappellae Granciarum, in quibus degunt Conversi pro agrorum cultura ab Episcopo visitari possint.

E e 4

AN

6. An ipsæ Grancie, & Conuersi in eis degentes subsint uisitationi Episcopi.
7. Quid in Ecclesiis, seu Cappellis Granciarum, in quibus nullus degit Conuersus, an similiter subsint Episcopi uisitationi.
8. An liceat Episcopo uisitare Conuentus tam suppressos, & postea restitutos, quam non suppressos, ad effectum cognoscendi, an in illis re ipsa alantur sex Religiosi.
9. An Episcopus uisitans huiusmodi Conuentus suæ jurisdictioni suppositos, aut personas in eis degentes, possit à uisitationis procuracionem exigere in victualibus, vel in pecunia.
10. An jurisdictione Ordinariis locorum tamquam Sedis Apostolicæ Delegatis attributa in supradicto Decreto, competat Vicariis Generalibus Episcoporum, nec non Abbatibus, & aliis inferioribus Prælatiis proprium Territorium, & jurisdictionem quasi Episcopalem habentibus.
11. An Provinciales, & alii Superiores Regulares possint eiusmodi Conuentus jurisdictioni Ordinarii subiectos, & Religiosos in illis degentes uisitare, corrigere, & punire, omnemque jurisdictionem in eos exercere, sicuti poterant ante dictum Decretum.
12. Si Superior Regularis in causa præuenerit contra Subditum degentem in aliquo ex eisdem Conuentibus Ordinario subiectis, fabricando processum, vel eum carceri mancipando, an Episcopus possit huiusmodi Causam reassumere, ac Superiore inhiere.
13. Si è conuerso Episcopus præuenerit in causa contra Religiosum in tali Conuentu commorantem, an Superiore Regulari eo casu liceat illum amoveri, & in alio Conuentu collocare; & si de facto collocaverit, an nihilominus Episcopus possint causam prosequi, ac Religiosum sic amotum reuocare ad primum Conuentum.
14. Si Provincialis, vel Superior localis uoluerit aliquem ex Fratibus à tali Conuentu removere, an Episcopus prohibere possit.
15. Si à Conuentu primum suppresso, ac deinde Religioni restituto absint ex aliqua rationabili causa, & ad breue tempus unus, vel plures ex numero sex Religiosorum ibidem degentium, an gratia restitutionis sit nulla, & Conuentus remaneat suppressus, ut prius.
16. Quid si à Conuentu non suppresso similiter ex causa rationabili, & ad modicum tempus absint aliquis ex sex Religiosis ibi existentibus, an durante tali absentia Conuentus subiaceat jurisdictioni Ordinarii.
17. An Religioso illo redeunte, vel aliàs impleto numero sex Religiosorum, Conuentus recuperet pristinam exemptionem.
18. Si gratia restitutionis Conuentus suppressi reddatur nulla ex eo, quòd in illo ad formam Decreti cum effectu non alantur sex Religiosi, & postea contingat, ut eiusmodi numerus impleatur, an gratia restitutionis Conuentus reuiuiscat.
19. Ad hoc ut gratia restitutionis sit nulla, & Conuentus denuo remaneat suppressus propterea, quòd in eo non sustententur sex Religiosi, an debeat præcedere declaratoria Episcopi super facto præuia Causæ cognitione.
20. An ab huiusmodi declaratoria liceat Regularibus ad Sedem Apostolicam appellare ad effectum tam deolutivum, quam suspensivum.
21. Cum ex Decreti præscripto quatuor Sacerdotes in his Conuentibus degentes, debeant esse maturæ ætatis, quænam dicatur ad hunc effectum ætas matura.

Sac. Congreg. super statu Regularium ad singula Dubia
superius proposita, hunc in modum re-
pondit, videlicet.

- Ad 1. Non posse.
Ad 2. Posse ex rationabili causa, commonito tamen prius Superiore Regulari,
ad quem pertinet, ut eisdem Religiosos assignet in aliis Conventibus.
Ad 3. Posse compelli.
Ad 4. Posse.
Ad 5. Posse.
Ad 6. Subesse.
Ad 7. Idem subesse.
Ad 8. Minimè licere antequam aliundè constet de fundamento intentionis Epi-
scopi in deficientia numeri constituto.
Ad 9. Expedire, ut SS. D. N. decernat, & declaret non licere Episcopo tales
Conventus visitanti quicquam accipere procurationis nomine.
Ad 10. Competere.
Ad 11. Posse sicut prius non tamen privativè ad Episcopum.
Ad 12. Non posse nisi ex justa causa, veluti cum videt Superiorem Regula-
rium ex odio, vel amore, cupiditate, vel metu, aut ex nimia severitate, vel
indulgentia quid durius, aut remissius constituere, quam causa deposcit, in
quo ipsius Episcopi conscientia oneratur.
Ad 13. Non licere Superiori Regulari Religiosum ab Episcopo inquisitum a lo-
co amovere, & si amotus fuerit, posse Episcopum causam prosequi, & illum
quibuscumque remediis revocare, etiam invocato auxilio Ordinarii, & bra-
chio seculari, si opus fuerit, cujuscumque loci, in quo Religiosus iste repe-
riatur.
Ad 14. Non posse.
Ad 15. Gratiam ob id non esse nullam, cessante omni fraude, nec Conventum
manere suppressum.
Ad 16. Subjacere durante absentia.
Ad 17. Recuperare.
Ad 18. Non reviviscere.
Ad 19. Debere ita præcedere, nec ante declaratoriam licere Episcopo Con-
ventus possessionem apprehendere, aut Religiosos indè expellere.
Ad 20. Licere ad effectum devolutivum tantum, non autem suspensivum.
Ad 21. Ætatem maturam dici ad hunc effectum completo anno quadragesimo.
Declarationes suprascriptas SS. D. N. ad se relatas approbavit, & ab omnibus ad
quos pertinet observari præcepit contrariis quibuscumque non obstantibus.
Datum Romæ die 27. Julii 1655. *Bullar. tom. 6. pag. 5.*

B. Card. Spada.

Loco ✠ Sigilli.

Prosper Fagnanus Sac. Congreg. Secretarius.

AD-

ADNOTATIONES.

1. **A C REGULARIA INSTI-
TUTA OBSERVANTUR.**
Regulares Ordinis Sancti Francisci scilicet Min. Observantes, Reformati, & Cappuccini, non possunt facere contractus, quia nihil habent, quod in alium transferre valeant, *Clem. exivi de verb. signif. Polit. in exposit. dub. Regular. cap. 6. n. 25.*
§. *Quare inhærendo*, *Sacr. Congr. Episcoporum in Senogallien. recollectionis Nivis 7. Decemb. 1691.*

2. **MATURÆ ÆTATIS.** Qui dicantur maturæ ætatis, potest percipi, & definiri ex divisione ætatis hominis, quæ sexenario numero completur, nempe. Prima est infantia, quæ durat usque ad septennium. Secunda ætas est pueritia, quæ durat usque ad 12. vel 14. annum. Tertia est adolescentia, quæ durat usque ad vigesimumquintum. Quarta est juvenus, vel virilis ætas, quæ durat, usque ad quinquagesimum. Quinta est senectus, quæ durat usque ad septuagesimum annum. Sexta ab indè, & dicitur senium, aliarum ætatum terminus; prout ita dividit *Gloss. in præmio Sexti Decretal. in verb. perfectus*, & declaratum est supra à *Sac. Congregatione in responsione ad 21.*

3. Si autem Statutum, seu Constitutio loqueretur de Religiosis Graduatis, sub nomine Graduatorum non venirent Lectores, Magistri, Regentes, sed hi qui habent Dignitatem, prout sunt Provinciales, Rectores Provinciæ, Visitatores, & alii hujusmodi habentes jurisdictionem delegatam: Nam prima officia sunt potius oneris, quàm honoris, *Pignatell. consult. 85. nu. 258. tom. 6.* & declaravit *Sacr. Congregat. Episcoporum, & Regularium in Gaditana præcedentiæ 4. Augusti 1690.* in qua cum vigore Constitutionum Ordinis Sancti Augustini Religiosi inter se præcedere deberent juxtà antianitatem -- *Exceptis PP. Graduatis, & Lectores* sub nomine Graduatorum venire contenderent, ac favorabile Decretum P. Generalis obtinuissent; causa per viam recursus ad Sacram Congregationem dela-

ta, sub dicta die responsum fuit--*Decretum P. Generalis non sustineri.*

4. **AC SUPERIOREM INHIBERE.**
Superior Regularis gerens actum inhibitorium, quod fieri non potest, nec permiffum est sine causa urgente, vel necessaria, non creditur assertioni illius causam subesse, nisi aliundè probet, *Ancheran. conf. 150. n. 8. Navar. in comment. de spol. Cleric. super cap. Non liceat 12. quest. 2. n. 8. & conf. 56. de Regular. lib. 3. nu. 2. Tusch. lit. 4. conclus. 535. n. 1.*

Superior, qui debet vigore Constitutionum substitutum eligere pro gubernio in casu absentia, non dicitur ad hunc effectum, absens, si moretur in Domo Religionis posita intra duas dietas, ut declaravit *Sacr. Congr. Episcoporum, & Regular. in Neapol. 10. Junii 1701.*

5. **SUBJACEAT JURISDICTIONI ORDINARIÆ.** Episcopus visitat Domum residentia Parochi dependentis à Monasteriis Regularium, etiam non suppressorum, *Sac. Congreg. Concilii in Augustana 15. Junii, & 27. Julii 1652. Pignatell. consult. 155. n. 9. tom. 4.*

Ad Decretum Sacrae Congregationis Episcoporum, & Regularium auctoritate Clementis Papa X. editum, de Canonicis Regularibus Congreg. Lateranen. ad Curam Animarum in Ecclesiis sæcularibus exercen. non admittendis.

SUMMARIUM.

- 1 *Regulares non admittuntur ad concursum Parochialium, sæcularium.*
- 2 *Canonici Regulares comprehenduntur sub hoc Decreto, & respondetur auctoritatibus Pennotti, & Bordoni contrarium sentientium, & n. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. & 11.*

Cum

Cum fel. record. Greg. XIII. aliique nonnulli Summi Pontifices ejus successores ad Regularem disciplinam in Congregatione Canoniorum Lateranensium Ordinis S. Augustini magis, magisque firmandam Decretis suis mandaverint, nedicti Canonici Curæ Animarum in Ecclesiis sæcularibus exercendæ, juxta Constitutionem Innocentii III. recol. mem. incipien. *Quod Dei timorem*, &c. cæteroqui capaces ad hujusmodi Curam in prædictis Ecclesiis exercendam admittantur; quorum Decretorum observantiam retinendam esse non semel declaratum fuit; afferentibus verò è contrà quibusdam dictorum Pontificum mentem haud fuisse, certa perpetua lege lata Innocentianam Constitutionem prorsus abrogare; sed immò illorum Decreta, seu mandata cum ipsis expirasse; ac propterea pro diversitate temporum diversas forsitan editas fuisse declarationes, & interpretationes, nec uniformem servatam praxim. Ideò ex prædictis non infrequentes dubitationes, & controversiæ subortæ noscuntur, ob quas Religiosa quies perturbari facillè posset accuratius in hoc sacro Ordine custodienda, cum illius Apostolica instituta primævam disciplinæ, ac sanctimonix antiquorum Clericorum imaginem, & symbolum referant, quibus ipsa nascentis Ecclesiæ primordia florebant.

Quapropter ad hujusmodi dubitationes explicandas, & controversias definiendas, atque ut magis accurata disquisitione eorum Canoniorum spiritus, & vocatio dignoscatur, qui dum in tranquillitate Montis Sion cœlestium contemplatione suavissimè pascuntur, ad frangendum in valle lacrymarum panem parvulis (videlicet è Claustro ad regimen descensuri Parochialium) invitantur, Sac. Congregatio Eminentiss. & Reverendiss. S. R. E. Card. negociis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, re maturè examinata, atque audito P. Procuratore Generali d. Congregationis Lateranensis, speciali sibi auctoritate per Sanctiss. D. N. Clementem Papam Decimum vivæ vocis Oraculo attributa declarat, atque decernit. Ut in posterum futuris perpetuis temporibus nemo ex Canonis Regularibus S. Augustini Congregationis Lateranensis, quamvis non translatus, ad Curam Animarum in Ecclesiis sæcularibus etiam de jure patronatus in perpetuum, seu ad tempus quocumque titulo exercendam admittatur, nisi præter Abbatis Generalis licentiam expressum quoque Sedis Apostolicæ Indultum accedat; quod juxta Sacrorum Ministrorum penuriam, & prout Animarum postulabit utilitas, in contingentibus casibus concedetur; itaut quælibet collatio, institutio, & deputatio, in favorem hujusmodi Canoniorum aliter facta, irrita prorsus, atque inanis censeatur, & sit; ac nulla etiam triennalis longior possessio iisdem suffragetur: Canonicus verò, cui ejusmodi concessum fuerit Indultum, ad mentem præfati Innocentii III. (si commodè fieri possit) socium unum ex suo Ordine, & Congregatione secum habeat, cujus iniis, quæ Dei sunt, & Regularis Observantiæ tam confortio, quàm solatio perfruatur &c.

Non obstantibus quoad supradicta omnia, & singula in præfati Decreto contenta, supradicta Constitutione Innocentii III. aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis necessariò, & individue exprimendis: Necnon &c. statutis; formula professionis in eo Ordine, & Congregatione emitti solita; consuetudinibus etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque, indulgentiis, & privilegiis etiam in corpore juris clausis &c. necnon irritantibus Decretis

&c.

&c. quibus quoad ea, quæ præsentibus adversantur, eadem Sac. Congregat. Sanctitatis Suæ auctoritate specialiter, & expressè derogat &c. Datum Romæ hac die 18. Martii 1671.

F. M. Cardinal. Brancatius.

Loco ✠ Sigilli.

C. de V. Archiep. Athen.

(Et sequitur d. Decretis publicatio.)

ADNOTATIONES.

1. **R**egulares licet jure antiquo in cap. in Parochia, & cap. Cum pro utilitate 16. quæst. 1. possent admitti ad regendas Parochias, hodiè tamen jure novo etiam Canonici Regulares, eis non suffragante cap. Quod Dei timorem de stat. Monach. nisi à Sede Apostolica dispensentur, excluduntur, obstantes eis Decreto Greg. XIII. quod referunt Fagnan. in cap. Quod Dei timorem n. 16. & 17. de stat. Monach. Lauret. de Franch. contr. par. 2. qu. 86. nu. 1. & 2. ubi Pasqualig. Nicol. in fosc. verb. Regulares n. 24. Pirhing. in jus Can. lib. 3. tit. 5. §. 5. num. 118. & tit. 35. §. 2. nu. 18.

2. Et licet Canonici Regulares Sancti Salvatoris sub prohibitione hujus nostri Decreti, neque sub dicta nova juris Censura non esse comprehensos in una Placentina Presentationis contenderent, ipsæque de licentia proprii Generalis absque Sedis Apostolicæ Indulto ad Parochiales Ecclesias vacantes concurrere, & de illis provideri posse in eadem causa sustinerent. Nihilominus Sac. Congreg. Concilii ad quam causa erat devoluta, sub die 14. Novembr. 1693. respondit -- Uniantur Decreta, & causa proponatur formiter auditis omnibus Procuratoribus Generalibus omnium Canoniorum Regularium, & interim cum Sanctissimo pro concessione Indulti ad favorem P. de Georgiis Præsentati cum clausula, quatenus opus sit.

3. Præcipuum fundamentum dd. Canoniorum Regularium Sancti Salvatoris quo eorum ineapacitatem excludere nitentur, innixum erat in auctoritate Gabr.

Pennott. in Hist. tripart. Canon. Regular. cap. 72. quem sequutus fuerat Bordon. Oper. Moral. tom. 4. tract. de præced. Canon. Regular. cap. 7. tit. de jur. Paroch. Qui Authores Constitutionem Gregorii adulterinam vocant, vel saltem non observatam. Secundum fundamentum exclusionis incapacitatis erant nonnulla Decreta emanata super illorum admissione absque Indulto. Tertium demùm, quod præsens Decretum erat restrictum ad solos Canonicos Lateranenses, in quibus major ratio incapacitatis concurreret.

4. Verùm apud majorem partem Eminentissimorum Patrum tunc in Sac. Congregatione sedentium (prout mihi retulit Testis omni fide dignus clar. mem. Card. Petrucci) fundamenta prædicta nullius ponderis tunc erant, neque modò validiora apud me sunt.

5. Etenim quoad primum de Decreto, sive Constitutione Gregorii XIII. per viam legis universalis declaratorie emanata ad exclusionem omnium Canoniorum Regularium, non videtur dubitandum: Quia de illius existentia, præter Authores supra laudatos testantur etiam Novar. in Summ. Bullar. part. 1. commen. 36. & Corrad. in prax. dispens. lib. 6. cap. 1. numer. 7. & pluribus seqq. Unde omnes isti Authores apprimè in Curia, & in foro versati, sine dubio præferri debent uni Pennotto, qui scripsit in causa propria, ac alteri Bordon, qui cæca fide illum sequutus est, hi inquam redduntur suspecti ratione præsumptæ affectionis erga Religionem, pro qua certat Pennottus, qui fuit Canonicus Regularis.

6. Quo-

6. Quoad secundum, quod plures predicti Canonici Regulares Sancti Salvatoris fuissent ad parochiales admissi cum sola licentia Generalis, & quod ita observatum fuisset: Nullibi probatum solidè remanebat, quia ad talem observantiam probandam adducebatur fides nonnullorum Canonorum Regularium ejusdem Religionis, ac unicum Decretum 23. Augusti 1692. emanatum nemine audito, seu opponente, quod rei judicata vim habere non potuit.

7. Et si Pennot. *loc. cit.* pro se alleget aliud Decretum Sac. Congregat. Concilii emanatum de anno 1602. quo Congregatio censuit Canonici Regularem non prohiberi obtinere Beneficia Curata Sæcularia; animadvertendam quod illud, si adesset, circumscriptum remansisse per subsequentes contrarias ejusdem Congr. resolutiones, captas de anno 1628. 1629. & 1655. de quibus testantur Nicol. in *fosc. dict. verb. Regular. sub num. 25.* Pignatell. *consult. Can. 44. tom. 1. sub num. 25. & in Brixien. 15. Maii 1655.* in terminis Canonorum Regularium Sancti Salvatoris. Et sic intrat tritum axioma, quod posteriora derogant prioribus, ut in puncto declarationum hujus Congregationis nos docet Fagnan. ejusdem peritissimus Secretarius in *cap. Quoniam pest. nu. 56. de Constit. Sarav. de jurisdict. quæst. 18. num. 20. post Frances. de Eccl. Cathed.*

8. Et ad hoc firmandum, cum Decretis posterioribus Congr. Concilii pro omnibus Regularibus indiscriminatim latis concordat Decretum Sac. Congr. Episcoporum, & Regularium in una Cremonen. 1. Septembris anno 1603. emanatum, cujus verba refert Barbos. *de jur. Eccles. univers. lib. 3. cap. 4. n. 79. circa medium*, & aliud afferunt Gavant. in *Manual. Episcop. verb. Canonici Regulares num. 3. Tondut. quæst. Benef. tom. 1. cap. 89. num. 15. Barbos. supra Concil. cap. 11. sess. 14. de Reform. numer. 6.*

9. Et tandem quoad tertium fundamentum, quod ratio prohibitionis nostri Decreti non dicatur vigere quoad alios Canonicos Regulares præter Lateranenses, penè futile remanere videbatur; quia nulla diversitatis ratio intercedit: Immo potius,

si unquam disparitatis nota in subiecta materia considerari valuisset in aliqua specie Canonorum Regularium pro capacitate ad obtinendas Parochiales absque Indulto, certè favore Lateranensium (qui in eorum professione promittunt Beneficia Curata extra Ordinem non suscipere absque licentia Capituli) militaret.

10. Si igitur Lateranensibus vetitum est Ecclesias Sæculares cum Cura Animarum absque Apostolico Indulto suscipere, & retinere; multo minùs licitum erit aliis, qui strictioris vitæ institutum profitentur, ut observat Fagnan. in *cap. Quod Dei timorem sub num. 17. de stat. Monach. & præsertim Canonici Regularibus Sancti Salvatoris, qui potius Monachorum, quàm Clericorum habitum retinent, & figuram faciunt, prout scripsit Card. de Luca de præminen. disc. 24. num. 3.*

11. Quicquid igitur esset dicendum de jure communi, & juxta dispositionem antiquarum Constitutionum Regularium & Apostolicarum, quas congerit Parentius, quem refert Tamburin. *de jur. Abbat. tom. 3. disput. 9. quæst. 8. post nu. 13.* Hodie jure novo tenendum est absolute, quod Regulares omnes, & si Canonici nuncupentur, absque Indulto Apostolico non possunt Beneficia Sæcularia in titulum obtinere ex supra deductis, quibus addo Capon. *discept. forens. 108. n. 77.* Passerin. Religiosorum amantissimus in *cap. Cum de Beneficio num. 3. de Præbend. & Dignit. in sexto*, ubi breviter sic firmat: *Quamvis enim ex DD. antiquis plures voluerint Beneficia Sæcularia Curata posse Regularibus conferri sine dispensatione, quos abundè refert, & sequitur Sanchez lib. 7. Summ. cap. 29. num. 35. tamen ex Decreto Concil. Trident. sess. 14. cap. 11. hodie hoc non verificatur, etiam in Canonici Regularibus.*

12. Credendum propterea est, quod visa docti Passerini doctrina, omnes Canonici Regulares in hac re acquiescant; cum verum sit, quod boni Amici consiliis anima dulcoretur, *Proverb. 27.* & quod satis lucreretur, qui à lite recedit, ut dicit *Abb. conf. 15. n. 1. par. 2.*

13. In Ecclesiis verò Parochialibus

Mo-

Monasteriis unitis etiam extrà Claustra quories, vel jure speciali post Concil. Trident. concessio, vel ex tolerantia, & approbatione Ordinariorum locorum, ad nutum amovibiles Superiorum Religiosi deputantur ad exercitium Curæ, non possunt quatenus ab eisdem removeantur reclamare, ut censuit *Sac. Congreg. Concilii in Romana* 17. Decembris. 1689. Neque congruam pro Curato Sæculari taxatam à Monasterio petere, nisi quantum indigent ad propriam, & onerum Ecclesiæ sustentationem: Nam totum id, quod superest de congrua deductis alimentis & Ecclesiæ oneribus (utpotè quia Regularis deputatis non indiguit tota summa, aut quia frugaliter vivendo voluntariè ab usu abstinuit) est superfluum, pro quo Curatus Religiosus nec agere, nec suo arbitrio de eo disponere valet, & ideo acquiritur Monasterio, ut auditis partibus, & causa bis proposita ad utrunque respondit *Sac. Congregat. Episcoporum, & Regularium in Mediolanen. Congruæ* 4. Septembris 1693. & 4. Martii 1694. contra P. Amadeum Baldacci Monachum Cisterciensem Curatum deputatum Parochiæ Falveccchiæ Granciæ Monasterii Muri-mundi, proponente clar. mem. Card. Petrucci. Ad quas Ecclesias, Curatos etiam Regulares modo mox indicato præfici posse probavit *Sac. Congreg. Concil. Aurien.* 2. Maii 1693. & in *Mechlinien.* 28. Novembris ejusdem anni.

CLEMENTIS PP. X.

Constitut. in qua Regularium privilegia quoad prædicationem Verbi Dei, & Sacramenti Pœnitentiæ administrationem declarantur.

SUMMARIUM.

1. *Regulares positi sunt in Ecclesia, ut sint cooperatores Episcoporum in procuranda salute Animarum. Episcopi primario constituti sunt à Christo Domino ad prædicandum ibid.*
2. *Hoc probatur tum ex Evangelio, tum auctoritate DD.*
3. *Referuntur auctoritates DD. super obligatione Episcoporum prædicandi Verbum Dei.*
4. *Quæ sint causæ legitime excusantes Episcopos ab onere prædicationis?*
5. *Allegatur sententia Pac. Jordan.*
6. *Allegatur sententia Pasqualighi.*
7. *Rejicitur sententia Pasqualig. & sequacium, & n. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. & 15. & 19.*
16. *Episcopus tenetur conatum adhibere pro remotione impedimenti, quo detinetur, ut non valeat Verbum Dei annunciare, & n. 17. & 18.*
20. *Quæ sint excusationes, quæ legitime reputantur? disceptatur, & n. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. & 28.*
29. *Episcopus Verbum Dei non prædicantes Author non damnat, sed cur non potuerit eos excusare rationes exhibet?*

CLEMENS EPISCOPUS &c.

Superna Magni Patris Familias præordinatione creditum Nobis universalis Ecclesiæ mysticum agrum circumspècta providentia custodire, atque excolere (quantum ex alto conceditur) sat agentes, animum in eas curas libenter intendimus, quibus valeant diffidia inter villicos, & operarios componi, jurgia tolli, scandalis, atque offensionibus aditus præcludi; ut quibus una fides, una Mater Ecclesia, & unus Dominus, qui charitas est, & pacis cogitans cogitationes, fiat etiam cor unum, atque anima una; sic etenim evulsis opportunè zizaniis, dum plantamus, & rigamus, incrementum dabit Deus; quo benedicente, messis multa, fructo centesimo cælesti in horreum congregabitur.

1. Sa-

1. Sanè cum Sacri Concilii Tridentini Decretis providè statutum fuerit, ut Regulares cujuscumque Ordinis, nisi à suis Superioribus de vita, & moribus, & scientia examinati, & approbati fuerint, ac de eorum licentia etiam in Ecclesiis suorum Ordinum prædicare non possint, cum qua licentia personaliter se coram Episcopis præsentare, & ab eis benedictionem petere teneantur antequam prædicare incipiant; in Ecclesiis verò, quæ suorum Ordinum non sunt ultra licentiam suorum Superiorum, etiam Episcopi licentiam gratis ab eo dandam habere teneantur, sine qua in ipsis Ecclesiis non suorum Ordinum nullo modo prædicare possint. Atq; ut nullus Sæcularis, sive Regularis etiam suorum Ordinum, contradicente Episcopo, prædicare præsumat. Idemque cum nullus Sacerdos Regularis possit confessiones Sæcularium, etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneus reputari, nisi aut Parochiale Beneficium obtineat, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut aliàs idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat, privilegiis, & consuetudine quacumque non obstantibus. Innotuit Nobis dubitationes nonnullas circa benedictionem, licentiam, contradictionem, examen, & approbationem ejusmodi in aliquibus Diœcesibus excitatas fuisse, ex quibus controversiæ, & dissensionis præmultæ in diem subsequi possent occasione privilegiorum, quæ per Sedem Apostolicam Religiosis Ordinibus concessa fuerunt.
2. Non attendentes, quod aliàs diversis temporibus prædictæ dubitationes, & controversiæ nonnullis Prædecessorum nostrorum Summorum Pontificum Constitutionibus, earumque declarationibus definitæ fuerint; ejusmodi definitiones in unum collectas, ut magis, magisque dissensionum tollantur femina, & in posterum firmiter in Agro Dominico pax Christi floreat, pro summo, quo fungimur Apostolatus officio novis Apostolicis litteris muniendas duximus, & roborandas. Itaque de consilio nonnullorum Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, & dilectorum filiorum Romanæ Curie Prælatorum pietate, doctrina, & prudentia præstantium, & matura deliberatione nostra, atque ex certa scientia, hac generali, & perpetuò valitura Constitutione decernimus, & declaramus.
3. Regulares, qui in Ecclesiis sui Ordinis *prædicare voluerint*, teneri ab Episcopo Diœcesano benedictionem petere; prædicare tamen posse quamvis illam non obtinuerint. Quod, si Episcopus benedictionem, nedùm non concesserit, sed etiam contradixerit, nec in prædictis quidem Ecclesiis licere Regularibus prædicare. Eosque contravenientes, ab illo tamquam Sedis Apostolicæ Delegato, censuris, aliisque pœnis Ecclesiasticis in vim Constitutionis fel. rec. Gregorii XV. Prædecessoris nostri incipientis, Inscrutabili Dei providentia, coerceri, & puniri posse. Episcopum tamen absque justa, & rationabili causa contradicere non debere. Et hujusmodi benedictionem teneri etiam Regulares petere, si in quibuscumque Oratoriis sui Ordinis sermonem coram Populo, vel in Ecclesiis, aut ad crates Monasteriorum Sanctimonialium eorum jurisdictioni subiectarum, licèt clausis januis, & nullus Sæcularis ibi interfit, habere voluerint. Possè autem Episcopum licentiam concessurum Regularibus in Ecclesiis, quæ suorum Ordinum non sunt, prædicare volentibus, illos quamvis ab Universitatibus, aut à Magistratibus Laicis nominatos, etiamsi Episcopi Antecessores per tempus immemorabile hanc licentiam absque examine

- mine concedere consueverint, quoad doctrinam examinare, si ita ipsius arbitrio, quod moderatum, & discretum esse debet, visum fuerit. Et licentiam prædicandi semel iisdem concessam ob rationabiles causas licet occultas prædicationem tamen concernentes suspendere. Non posse tamen Episcopum generaliter prohibere Regularibus quin in Ecclesiis suorum Ordinum prædicent.
4. Ad hæc Religiosos ab Episcopo ad confessiones Sæcularium in sua Diœcesi audiendas approbatos non posse in alia Diœcesi eas absque Episcopi Diœcesani approbatione audire, quamvis Pœnitentes Subditi sint ejus Episcopi, à quo ipsi Religiosi jam fuerant approbati. Et generaliter approbatos ab Episcopo ad personarum Sæcularium confessiones audiendas, nequaquam ceteri approbatos ad audiendas confessiones Monialium sibi subjectarum; sed egere quoad hoc speciali Episcopi approbatione; atque approbatos pro audiendis confessiones Monialium unius Monasterii, minimè posse audire confessiones Monialium alterius Monasterii. Itidemque Confessores Extraordinarios semel deputatos, atque approbatos ab Episcopo ad Monialium confessiones pro una vice audiendas, haud posse expleta deputatione in vim approbationis hujusmodi illarum confessiones audire, sed toties ab Episcopo esse approbandos, quoties casus deputationis contigerit. Cæterum in Monasteriis, ac etiam Collegiis, ubi juxta Regularia instituta vivitur, posse tam Prælatos Regulares, quam Confessores Regularium eorundem Monasteriorum, seu Collegiorum, audire confessiones illorum Sæcularium, qui inibi sunt verè de Familia, & continui Commensales, non autem illorum, qui tantum ipsis deserviunt. Illos autem Religiosos, qui ad confessiones audiendas idonei generaliter reperti fuerint, ab Episcopis generaliter quoque, & indistinctè absque aliqua limitatione temporis, certorumque locorum, aut generis personarum in Diœcesi propria admittendos. Quoad ceteros verò, qui non adeo idonei reperiuntur, si petierint se admitti, arbitrio Ordinariorum relinqui, ipsos cum limitata facultate, prout eisdem Ordinariis magis expedire videbitur, probare, & admittere. Semel autem simpliciter approbatos posse in Diœcesi Episcopi approbantis quovis anni tempore, etiam Paschali, & quorumcumque etiam Infirmorum confessiones audire absque ulla Parochorum, vel ipsius Episcopi licentia; de qua tamen confessione teneri dictos Religiosos eorundem Infirmorum Parochum illico certiore reddere. Et hoc posse illis ab Episcopo sub pœna suspensionis à facultate audiendi confessiones præcipi; sufficere tamen, ut certioratio hujusmodi fiat saltem per scripturam apud ipsum infirmum relinquendam.
5. Et eos, qui dictis Religiosis simpliciter approbatis Paschali tempore confessi fuerint, Constitutioni, quæ incipit, Omnes utriusque sexus, quoad confessionem dumtaxat satisfecisse censendos. Regulares verò ad ejusmodi confessiones audiendas prævio examine simpliciter, & absque ulla temporis præfinitione ab ipsomet Episc. secus autem ab ejus Vicario, aut ab Antecessoribus Episc. approbatos non posse ab eodem, qui sic approbavit, iterum examinari, aut ab eisdem confessionibus audiendis suspendi, seu licentias, illis concessas, revocari nisi nova superveniente causa, quæ ipsas confessiones concernat. De qua tamen haud necessarium esse ut in actis constet, nec eam teneri Episc. ipsis Regularibus significare, sed Sedi Apostolicæ dumtaxat, ubi eam sibi aperiri postulaverit.

6. Porrò si Regulares cum scandalo, aut aliàs inhonestè vivant, vel aliquod delictum committant, per quod rationabili Episcopi iudicio videantur à confessionibus suspendendi, in quo ipsius Episcopi conscientiam oneratam esse volumus, cum præcipua Ministri Sacramenti Pœnitentię qualitas sit vitę integritas, ac morum honestas: Utique eam causam ad confessionis Ministerium pertinere, ac proindè nihil obstare, quominus ob eam possit Episcopus Regulares à semetipso approbatos suspendere, aut repellere à confessionibus audiendis. Attamen confessiones audiendi facultatem omnibus simul unius Conventus Regularibus Confessoribus adimi ab Episcopo, inconsulta Sede Apostolica, nullatenus posse. Ex facultatibus per Mare Magnum, aliavè privilegia Regularibus cuiuscumque Ordinis, Instituti, aut Societatis, etiam Jesu, concessis, factam eis non esse potestatem absolvendi in casibus ab Episcopo sibi reservatis. Et per confirmationes dictorum privilegiorum, quas Regulares à Sede Apostolica post Sacrum Concilium Tridentinum obtinuerunt, nequaquam revixisse privilegia prius ab eodem Concilio, aut deindè Apostolicis etiam Decretis sublata, atque extincta, si quæ habebant absolvendi à casibus Episcopo reservatis.
7. Et habentes facultatem absolvendi ab omnibus casibus Sedi Apostolicę reservatis, non ideò à casibus Episcopo reservatis posse absolvere. Possè autem Regularem confessorem in ea Diœcesi, in qua est approbatus, confluentes ex alia Diœcesi à peccatis in ipsa reservatis, non autem in illa, ubi idem confessor est approbatus, absolvere, nisi eosdem Pœnitentes noverit in fraudem reservationis ad alienam Diœcesim pro absoluteione obtinenda migrasse. Vigore supradictorum privilegiorum nequaquam licere Regularibus, etiam satisfacta parte, absolvere Pœnitentes à censuris quoad externum, & iudiciale forum, & absolutos ab eis in foro pœnitentia, utique non censi absolutos in exteriori iudicio, & contentioso. Quinimmodò censuris Ecclesiasticis irretitos, & denunciatos ab Episcopis, cogi posse gerere se pro talibus, etiam si à Regularibus fuerint absoluti. Quoties exhibitis aliquibus Regularium Apostolicis privilegiis coram Episcopo, ab eo iudicetur ipsa non suffragari casui, de quo agitur, si dictorum privilegiorum verba obscura sint, & ambigua, non esse ad Metropolitanum provocandum, sed cum ejus sit interpretari, cuius est condere, dictorum privilegiorum interpretationem Sedis Apostolicę iudicio, prout aliàs Constitutione Prædecessoris nostri fel. rec. Clementis IV. statutum fuit, esse requirendam.
8. Decernentes sic, & non aliàs per quoscumque Iudices Ordinarios, vel Delegatos quavis auctoritate, & dignitate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Card. etiam de latere Legatos, Vicelegatos, Nuncios, & quosvis alios, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere. Irritum quoque, & inane quidquid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.
9. Non obstantibus quibusvis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis in favorem quarumcumque personarum, atque quorumvis Ordinum tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, Militiarum, etiam Sancti Joannis Hierosolymitani, Congregationum, Societatum, etiam Jesu, ac cuiusvis alterius instituti, etiam necessariò, & individuo exprimendi, Monasteriorum, Conventuum, Capitulorum, Ecclesiarum, & aliorum quorumcumque

tam sæcularium, quàm Regularium, locorum, necnon illorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, vel consuetudinibus, etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque, indultis, & privilegiis, etiam in corpore juris clausis, aut ex causa, & titulo oneroso, vel in limine foundationis concessis, etiam Mari Magno, seu Bulla aurea, aut aliàs nuncupatis, Conservatorum deputationibus, eorumque, atque aliis inhibitionibus, quibus Episcopi deferre minimè teneantur, quibusvis aliis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus, & aliis decretis, etiam Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolica potestatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet, etiam per viam communicationis, seu extensionis concessis, & iteratis vicibus approbatis, & innovatis, quibus omnibus, etiam si pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, & formis, specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata, inserti forent, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis, quoad ea, quæ eisdem præsentibus adversantur, aliàs in suo robore permanentibus, harum serie specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

10. Cæterùm quia difficile foret præsentibus litteras ad singula quæque loca deferri, ut ea tamen omnibus innotescant, mandamus illas ad valvas Ecclesiæ Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, atque Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ affigi, & publicari.
11. Volentes, quod earumdem præsentium litterarum transumptis, etiam impressis, manu tamen alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Prælati, seu personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis in judicio, & extrà illud, ubi opus fuerit, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis originalibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.
12. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostrorum decreti, declarationis, derogationis, mandati, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum se noverit incursum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo septuagesimo, undecima Kal. Julii Pontificatus nostro Anno primo.

G. Dat.

I. G. Stusus,

D. Ciampinus.

Visa de Curia P. Ciampinus.

INNO-

INNOCENTII XI.

Admonitio ad Verbi Dei Concionatores per litteras Sac.
Congregat. Concilii.

Foris - Eminentissimo, & Reverendissimo Domino. Observandis. Domino
Card. Caracciolo Archiepiscopo Neapolitano.

Intus - Eminentissime, & Reverendissime Domine Observantissime.

A Pluribus Christiani Orbis Provinciis graves, frequentesque Romam, atque ad ipsam Sanctam Sedem adventant, seu delationes, seu querelæ adversus præsentem prædicationis usum, tanquam à primævo Apostolorum instituto prorsus aberrantem. Ac quidem cum Verbum Dei, quod, Apostolo teste, omninò esse debet sanum, ac salutare, multiplice lue per plures ex ipsis Evangelii præconibus reddatur infectum; meritò Sanctiss. D. N. decrevit contagionem universo Gregi tam exitiosam, longèque patentem, omni Apostolicæ auctoritatis conatu, prorsus excindere; nam quæ pestis esse, aut excogitari violentior ea potest, quæ cibos ipsos ad vitæ præsidium institutos, ipsasque medicinas pro morbis depellendis inventas, in mortis instrumenta, & præsentissima venena converteret? Verbum profectò Dei est ille panis vitæ, & intellectus quo cibari, & aqua simul salutaris qua potari Fidei animas ab ipsis Religionis Christianæ incunabulis, Redemptor noster edocuit. At verò si sal, quod pro Dei Verbo à Sanctis accipitur; per fuitiles conciones evanuerit, in quo putrescentia mortaliū vitia condientur? Quinimò si sal idem, quod Prædicatores apertè significat, per eloquentiam planè stultam infatuatum fuerit, reverà non ultra valebit, nisi ut conculcetur; & utinam jam non conculcetur ab hominibus. Quæ enim Ministerio tam sacro Majestas, qui decor, quæ Sanctitas, quæ utilitas inest, quando plurimi, ut Paulus clamat, Verbum Dei adulterantes; aut jocis tamquam histiones; aut conversi ad fabulas, uti Poetæ, Auditores sibi prurientes auribus coacervant; aut inanis facundiæ lenocinio, & calamistrato, ac meretricio planè stylo, prædicationem fædè corrumpunt? Mandat ergò Sanctitas Sua, zelo verè Apostolico accensa, ut omnes Primates, Archiepiscopi, Episcopi, cæterarumque Ecclesiarum Præsides, quorum præcipuum munus est, Verbum Dei administrare, Gregemque pascere, tantis corruptelis occurrant, easque Concionatoribus opportunè ob oculos ponant, ut fugiant à facie tot pestium potiùs, quàm colubrorum. Et præsertim universi intelligant, quod per Hieremiam Deus illis indixit: Propheta, qui habet sermonem meum; loquatur sermonem meum verè; quid palea ad triticum? Numquid verba mea non sunt ignis, dicit Dominus, & quasi malleus conterens petras? Videlicet oportere, conciones non paleis refertas esse ad vanitatem, sed igne veritatis succensas. Porro sciant non levem esse culpam, sed grande piaculum, gravissimæque pœna multandum, ubi per scurrilitatem Verbum Dei, velut in scenam adducunt, atque Auditoribus deridendum traduxerint. Prætereà neque per quæstiones curiosas, ac paradoxa vana, ità suprâ captum populorum assurgant, ut verè querantur: Parvuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis. Similiter neque

F f. 2.

per.

per illecebras inanium verborum res non minus vanas obtudant, & per ostentationem memorię, atque pronuntiationis precipitantiam, quasi prestigii Auditorum animos, auresque ludificent. *Quamobrem Antistites per se, si tempus vacaverit, tum in Cathedralibus, tum in aliis Ecclesiis serio animadvertant, & in Diœcesi Vicariis Foraneis, aliisque Ministris, probisque viris, à quietores normam huiusmodi transgressos compererint, eos à prædicationis munere ad tempus benevisum suspendant, aliavè ratione pro modo culpe plectere curent, subrogando interim alios, qui salutari modo populo ostendant vitia, quę eos declinare, & virtutes, quas sectari oporteat, ut pœnam eternam evadere, & cœlestem gloriam valeant consequi. Eminentia igitur Vester, in Civitate, ac Diœcesi ejus curę credita, Sanctiss. D. N. iussibus, proprioque muneri satisfacere non gravabitur, idemque suis suffraganeis, vel qui Synodo Provinciali interessè consueverunt, significare. Et E. V. manus humillimè deosculor. Romę 6. Julii 1680.*

Humillimus, & Addictissimus Servus

F. Cardinalis Columna.

S. Archiep. Brancacius Episc. Viterb. Secr.

ADNOTATIONES.

1. **P**RÆDICARE VOLUERINT. Regulares positi sunt in Ecclesia, ut sint Cooperatores, & Adjutores Episcoporum in salute Animarum procuranda, ut habetur in Concilio Lateranen. sub Innoc. III. c. 10. & se talem esse profitebatur Apostolus, *Cooperatores Dei sumus.* Unde hi multiplicati sunt, ut Episcopos juvent; quia ipsi Episcopi à Christo Domino, qui est Princeps Pastorum, & Apostolorum, ad munus prædicandi primariò missi sunt, ut patet ex ejusdem Christi verbis: *Wos estis lux Mundi, vos estis sal Terræ, Matth. 5.* Neq; illos juvat excusatio, quod ad prædicandum apti non sint, quoniam Deus afflat, ut doceant opportuna plebibus sibi concreditis, dummodò non sint desides, ut monet Bail. in Sum. Concilior. adnot. 10. *Can. Conc. Lateran. 4. pag. mibi 420.* & post eum Petr. Vecchia *Episcopus Vigilien. in tract. de Eccles. Militan. l. 1. cap. 7. n. 43.*

2. Credendum ne est, quod verba illa, quæ proferuntur ab Ecclesia in consecratione Episcoporum, nempe: *Accipe Evangelium, & vade prædica Populo Tibi commisso,* dicta sint perfunctoriè, & jocosè? & alia Christi Domini -- *Ue in univèrsam*

Mundum, & prædicate Evangelium omni creature, Apostolis dicta, quorum loco Episcopis constituti sunt, quod oïosa sint, certè quod non: Nam DD. mox citandi cõmuniter tenent obligationem hanc vigere.

3. Et primò, Eugenius IV. in Bulla, quam edidit de Cardinalium dignitate, & præstantia, quę reperitur impressa in *Bullar. tom. 1. Constit. 15. ejusdem Pontificis,* munus Episcoporum distinguendo, in fine §. 5. sic loquitur: *Decuit etiam cum Summus Pontifex Christi representet personam, & quemadmodum Christo conversanti in terris assistebant Apostoli, nã etiam Cardinalium Cætus Apostolicum representans coram Papa assisteret; reliqui vero Episcopi ubique diffusi, Apostolos representant ad prædicandum per Orbem missos.*

Lel. Zecch. in tract. de republic. Eccles. tit. de Concionator. dicit, quod munus hoc prædicandi est dignissimum, & principalissimum omnium munerum, quæ sunt in Ecclesia Dei, ex quo fuerit præcipuum munus Christi Domini, ac etiam quia successores Apostoli cætera munia Apostolatus Discipulis commiserunt, & munus hoc prædicandi sibi reservarunt: inde inferens, quod non putarunt illud faciliè aliis committendum, & quod.

& quod ideo Concil. Trident. vocet munus proprium Episcoporum, qui si per se ipsos non prædicent legitime non impediti, peccent mortaliter. Unde Episcopi peccant (sunt ejus verba num. 7. peccato nono) tam si non habentes impedimentum ipsi non prædicant, tam si habentes impedimentum saltem per alios non prædicant.

Navar. in Commentar. tit. de peccat. divers. stat. cap. 25. num. 44. affirmat, quod Episcopus legitime non impeditus, contraveniens præcepto Concilii Trident. sess. 24. c. 4. de refor. peccet mortaliter.

Monach. de arbitr. jud. cas. 424. n. 1. & 2. asserit, quod munus prædicandi pertineat ad Episcopos ex mandato, & legatione Divina, & quod nullo jure, vel ratione ab eo desistere possunt, vel debent.

Parisi. de resignat. lib. 5. quæst. 3. n. 234. & tribus seqq. auctoritate, & eloquiis Scripturarum, ac Conciliorum probat, quod officium Episcopi sit oneris, & non honoris, dicaturque vita docendi, & prædicandi.

Bellest. disq. Cleric. tit. de poenit. Cleric. §. 30. num. 17. eidem effatis item probat Episcopum non prædicantem graviter peccare, nisi legitimo detineatur impedimento.

Pac. Jord. lucubr. tom. 1. lib. 6. tit. 1. de prædicat. verb. Dei ingenuè fatetur ministerium Verbi Dei inter præcipuas Episcopi curas connumerari, & nisi legitima excusatio interveniat, eum culpam haud evadere: licet se ipsum excuset propter defectum Illyrici idiomatis.

Lauret. de Franch. contr. part. 1. num. 611. solide comprobat Episcopum non esse immunem à culpa, si omittat prædicare, nec posse huic oneri per alios satisfacere, nisi legitime reperiat impeditus.

Barbos. de jur. Eccles. univers. l. 1. cap. 13. num. 20. tenet, & docet, quod omnes Episcopi, & alii Ecclesiarum Prælati, tenentur per se ipsos, si legitimi impediti non fuerint, ad prædicandum Sanctum Christi Evangelium.

Tamburin. de jur. Abbat. tom. 2. disput. 11. quæst. 1. firmat, quod Prælati omnes, Monacelli Form. Pars I.

& Præpositi Curam Animarum habentes, teneantur ex vi eorum muneris suis subditis Verbum Dei prædicare, & viam salutis ostendere per se ipsos, nisi legitimo impedimento detineantur, alias eos grave peccatum committere.

Fagnan. in cap. inter cætera de offic. ordin. num. 10. & 11. tenet, quod Episcopi non excusentur ab hoc munere prædicationis prætextu contrariæ consuetudinis, quia est contra præceptum Divinum, eamque uti frivolam funditus evulsam fuisse testatur à P. Hieronymo Narnio olim Sac. Palatii Concionatore celeberrimo, quem Apostolici Verbi Tubam vocat.

Pirhing. in jus Can. lib. 1. tit. 31. num. 90. & 91. Fagnan. sequendo, confirmat propositionem, quod cessante justo impedimento, teneantur Episcopi per se ipsos ex præcepto Divino prædicare, neque eos per substitutos satisfacere, quia censetur electa industria personæ, non obstante contraria consuetudine etiam immemorabili, quæ potius corruptela censenda sit.

Passerin. de hom. stat. tom. 1. quæst. 184. artic. 6. num. 29. & 30. fulcro Divinarum, & humanarum scripturarum firmat, quod solius Episcopi est populum docere, & verbum Dei prædicare; eique propterea in consecratione munus hoc specialiter impositum reperiri; quia (ut Author bene probat) Episcopus habet Curam Animarum per modum causæ principalis.

Idem eodem tract. tom. 2. quæst. 187. artic. 1. num. 1002. & 1003. iterum dicit, quod prædicatio Verbi Dei est proprium Episcoporum munus: & quia Episcopi non valebant per se ipsos in tota Diocesi prædicare, ideo Deus inspiraverit Sanctis Patriarchis Dominico, & Francisco, ut Ordines suos instituerent, ad hoc ut eorum filii Episcopis Adjutores essent ad diffeminandum verbum Dei.

Petr. Vecchia olim Abbas Cassinen. & postea meritissimus Episcopus Vigilien. in tract. quem edidit Romæ anno 1683. de Eccles. milit. lib. 1. cap. 7. num. 43. clarè docet, quod obligatio Episcoporum verbum

Ff 3 Dei

Dei prædicandi non adimpletur tuta conscientia per substitutos, nisi adsit aliquod grave impedimentum.

4. Hæc verissima sunt tam apud laudatos Authores, quam alios innumeros, quos possem allegare. (& nemo inficiet.) At in dubium cadit, quænam sint causæ legitimæ, sed impedimenta, quibus Episcopi ab onere prædicandi per se ipsos excusantur, eisque per Concilium conceditur uti ministerio aliorum?

5. Pac. Jord. loco superius citato dubium movens, indecisum relinquens num. 110. hæc habet, *Fateor quidem hinc urgeri tam claris, præcis, & repetitis jussionibus Sac. Canonum, & Conciliorum, inde levare ex quotidiana praxi, & observatione, qua lex videtur limitata: nec audeo, ut superius terigi, in re tanti ponderis quicquam ex proprio capite musitare.* Et paulo inferius post relata verba Gregorii Magni in Homil. 11. Ezech. sic periodum claudit -- *Propitius sit mihi Jesus Christus, ad cuius Sacra vestigia provolutus in amaritudine animæ meæ fateor ingenuè inter cæteras negligentias, ac torpores meos hunc principem locum tenere, & assiduis stimulis animum lancinare meum, intimaque præcordia ferire.*

6. Verum, quod spectatæ virtutis, & doctrinæ Antistes ausus non fuit attingere, liberiori calamo (& utinam non deteriori) Provinciam hæc arduam ingressus, definire non trepidavit Pasqualig. ad Franc. *suprà allegat. par. 1. n. 612.* ubi hic Author fidenter tenet, quod munus Episcopi per se ipsum prædicandi cesset, & impleri possit per substitutum, quoties concurrens impedimentum *inhabilitatis*, quo nullum potentius (ut ipse ait:) quam inhabilitatem adesse affruit. Primò si Episcopus longam orationem texere, & memoriter reddere non valet. Secundò si non sit Theologus. Tertio si tantum temporis pro studio Concionis infumeret, ut non posset cæteris negociis Episcopatus vacare. Quarto si ita inconcinne annunciaret verbum Dei, ut potius se contemptibilem redderet, quam populum instrueret. Quintò demum eum excusari consuetudine saltem Italiae, in qua Episcopi non prædi-

cant, vel pauci bis, ac semel in anno tantum.

8. Post Pasqualigum, & alios, si qui sint hujusmodi farinæ DD. rejiciunt disciplinæ Ecclesiasticæ Assertores. Et ad primum respondent, quod Episcopus ut suo muneri satisfaciat, non debet, nec tenetur texere, & memoriter reddere longam, & rethoricam orationem (ut fingit iste Author) ad instar Concionatorum Regularium; sed satis est, quod familiari sermone exequatur monita Pontificalis Romani in tit. *de visit. Paroch.* ubi dicitur, quod Episcopus visitando, *inducit populum ad pœnitentiam*, (sunt verba præcisa) *instruit in Ecclesiasticis Sacramentis, & in articulis fidei, & qualiter debeant declinare à malo, & facere bonum, fugere vitia, & sectari virtutes, alteri non facere, quod fieri sibi nolunt.* Hæc sunt argumenta Concionum Episcopi, quæ Sancta Mater Ecclesia præscribit, pro quibus probandis, & explanandis non textilis oratio, non elegans sermo, non memoria profunda, aut anacronisma digressio requiritur; sed homiliaistica explanatio, humilis, brevis, & facilis ex Cathéchismo excerpta.

8. Et eadem ferè in sensu suo tamquam essentialia Concionis loqui voluit in Ecclesia Apostolus 1. ad Corinth. 14. nempè. *Quid credendum. Quid servandum. Quid vitandum. Quid timendum. Quid sperandum;* ut tradit Barbol. *de jur. Eccles. lib. 1. c. 13. n. 33.* & post eum Tambur. *de jur. Abbat. to 2. disp. 11. q. 3. n. 6. 3.* quæ potius per modum Cathéchesis tradenda sunt, quam per sermonem compositum, ad captum cujusque accommodatæ.

9. Ad secundum præsignatum impedimentum respondetur, quod ex ipsa Concilii Trident. dispositione tollitur. Nam in *cap. 1. sess. 24. de reform.* ubi de eligendis ad Cathedrales fit sermo, nullum verbum habetur, quod hi debeant esse Theologi, sed præditi aliis qualitatibus, quæ juxta Sacros Canones requiruntur. Cum igitur *Concil. eadem sess. cap. 4. & sess. 5. cap. 2. de reform.* definiat, munus prædicandi ad Episcopos principaliter pertinere, satis agnovit huic oneri probè satisfieri posse à non Theologis. Et ideo

in consecratione Episcopi, non interrogatur promotus, an sciat Theologiam; sed an sciat utrumque testamentum, circa quæ sufficit, ut calleat Dei mandata, & articulos fidei, Sacramentorum doctrinam & alia, quæ ad Animarum curam necessaria sunt, ut observat Bonac. *de restit. in gener. qu. 1. punct. 1. n. 16. circa fin.*

10. Et cum Episcopi præsertim Italiæ, non mittantur ad illuminandos infideles, aut confutandos Hæreticos, sed ad erudiendam plebem ipsis commissam, minor doctrina exigitur in eorum Concionibus, ut generaliter de Predicatoribus loquendo, distinguit Donat. *prax. rer. regular. tom. 3. tract. 6. quæst. 8. num. 7. ibi: Si verò roges, quanta debeat esse scientia ad rectè prædicandum, dico, quod de hac re non potest dari certa regula, cum loco, tempore, & personis debeat esse proportionata; sunt enim qui ad illuminandos populos, & Hæreticos confutandos mittuntur, & hi debent esse potentes in opere, & sermone, cap. inter cetera de offic. jud. ordin. Alii autem assumuntur ad viam perfectionis dirigendam, & hi debent habere efficaciam sermonis. Alii tandem mittuntur ad plebem erudiendam, & in his minor doctrina, & perfectio exigitur: in omnibus autem quod ad doctrinam attinet, necesse est, ut fidei dogmata, & moralis doctrinæ præcepta absque periculo errandi tradere possint.*

11. Ad tertium dicunt, quod non est impedimentum, sed merum figmentum. Quia cum Episcopus non teneatur, neque debeat quotidie prædicare Verbum Dei, sed tantum Dominicis, & solemnibus festis diebus, ad Concilii præscriptum: imperceptibile est, quod hic fit tam habetis ingenii, ut ad præparandum brevem sermonem, juxta modum supra insinuatam, infumere debeat totam hebdomadam, & per totum annum. At si iste casus daretur (qui vel nunquam, vel raro eveniet) talis Episcopus diceretur potius invincibiliter ineptus, quam impeditus ad prædicandum. Cæterum nulum aliud negocium habet Episcopus, quod huic, de quo loquimur, præferre impellatur. Immo hoc unum, quod est maximum, & necessarium, primum om-

nium adimplere tenetur, aliaque minora abjicere, & aliis committere, ne illis præfocatus, verbo Dei non possit vacare, ut expressè eum monitum voluit Text. *in c. te quidem 11. q. 1. c. dispensat. 43. distinct. & benè advertit Passerin. de stat. hom. q. 185. art. 8. num. 8. tom. 1.*

12. Ad quartum assertum impedimentum (quod etiam approbatur à Pignatell. *consult. 151. num. 2. tom. 10.*) respondetur ut ad proximum, quod non est impedimentum, sed futilis excusatio, quæ blanditur auribus illorum, qui Episcopatus redditus, & honores quærunt, sed non labores. Vana quippe excusatio, quod Episcopus nesciat concinne exponere verbum Dei, nec gestus facere, nec scitè declamare. Quia, ut jam dictum est in responsione ad primum, nullum horum exposcit Episcoporum prædicatio, quæ non ordinatur ad captandam gloriam hominum, & audientium plausum, sed ut exemplo Apostolorum cum fiducia loquentes verbum Dei, plebem erudiant in lege Domini, quod aptè, & dignè fit, col comparire per se stesso in un Pergamo in publico (sunt verba citati Episcopi Vigiliè.) à dire quattro parole, e far due brevi, ma Paternè, amorose, & efficaci esortazioni &c. Nè impedimento legitimo sarà mai appresso Dio il non havere una prontezza di dire, ed humana sacondia, ed erudita eloquenza, che à comparir con applauso molto necessarie si stimano: mentre quel sagrosanto ministero da Prelati Ecclesiastici, e da Pastori d'Anime, non hà à trattarsi in doctis humana sapientia verbis, sed in doctrina spiritus, spiritualia spiritualibus comparantes, come n' insegna à fare col suo esempio l'Apostolo scrivendo à Corinthi 1. Cor. 2. n. 13. e replica num. 3. Et ego in infirmitate, & timore, & tremore multo fui apud vos, & sermo meus, & prædicatio mea non in persuasibilibus humana sapientia verbis, sed in ostensione spiritus, & virtutis; con cui si come San Paolo convertì, & ammaestrò tutto il Mondo, secondo che testifica la Chiesa, Deus qui unversum Mundum Beati Pauli Apostoli prædicatione docuisti; così potrà ogni Vescovo ammaestrare i suoi popoli, e far frutto maggiore nella sua Chiesa, che con

bella, e fiorita, erudita, e pomposa eloquenza, ed humana dottrina, per lo più inimica di Dio, e inhabile à far frutto, e perciò indegna della bocca d'un Prelato, e Pastore.

13. Et paulò post, ostenso quod hoc munus non est committendum substitutis, qui ut plurimum Mercenarii sunt, & non pertinet ad eos de ovibus, subjungit: *On- de chi animato una volta salisse à quell' eroi- ca azione, se non si dimostrasse alla prima un Boccadoro, un Agostino, un Ambrogio, un Leone, ò un Gregorio, forse forse che proverebbe sopra di se quell' assistenza, e pie- nezza dello Spirito Santo, che gli Arcivesco- vi Colombini di Ravenna provorno, perche subito eletti o così ben peroravano, che ha- rebbero confuso i Demosteni, & i Tuliz, e quegli che sù l'ultimo di condizione più bassa, e di lettere nulle per nome Severo, non sola- mente dottissimo Oratore mà illuminato Pro- feta nel suo improvviso discorso si dimostrò in un subito predicando à suoi popoli ch' egli sarebbe l'ultimo dallo Spirito Santo in quella forma visibile eletto, come seguì. E così à questi seguirebbe etiamdio, mentre lo spiri- to medesimo, e Santo Spirito, che loro assi- steva, non negherà à chi lo implora, e in lui confidaciò c' hà promesso à suoi servi, e suoi fedeli, davanti à Magistrati, e Tribu- nali del Mondo à professar la sua fede, chia- mati &c.*

14. Cujus Præfulis monita mirificè comprobata auctoritas S. Cypriani, quem refert Bzov. *Histor. Eccles. lib. 3. ad an- num Christi 252. num. 16. Epist. 2. dicen- tis: Cum de Domino Deo vox est, vocis pura sinceritas, non eloquentiæ viribus nititur ad fidei argumenta, sed rebus. De- nique accipe non diserta, sed fortia; nec ad audientiæ popularis illecebram culto sermone fucata, sed ad Divinam indul- gentiam prædicandam rudi veritate simpli- cia.*

15. Quis igitur Præful hæc seriò reco- gitans, & recto corde ruminans, aptitu- dinem su sufficientem ad verbum Dei enun- ciandum non habere affirmabit? aut si actu non habeat, brevi tempore & co- natu illam acquirere diffidet? ubi est con- temptus, & irrisionis occasio, quam tan- ti faciant Pasqualig. & Pignatell. qui ut

hominibus placeant, à veritate auditum avertere faciunt, & ad fabulas conver- tuntur; præceptaque Dei, & Ecclesiæ laxis habenis invertere nituntur? Audi- ant Episcopi, qui istorum erroneam do- ctrinam sectantur, verba Jo: Echii, quæ refert Barbof. *vol. 123. lib. 3. num. 8. ibi: Nostrates Prælatos Apostolicum ordinem invertere, dum spiritualia graviora quam quæ subeant rati, in Pontificalibus Suffra- ganeorum, in judicialibus Officialium, in absolvendis peccatoribus Pœnitentiariarum ope utuntur, in prædicatione Monachum aliquem nescio quem proferunt, in aliis spi- ritualibus alios habent Vicarios.* Et postea ex Expencæo subdit: *Adibunt conciona- bundi hujusmodi per Vicarium Paradisum, in persona inferos.*

16. Præterea ad hoc ut ista præten- sa inhabilitas, seu ineptitudo Verbum Dei prædicandi (Sac. Canonibus, Conciliis generalibus, ac supra citatis DD. prorsus abscondita,) legitimam excusationem præbeat, necesse est, quod Episcopus ea impeditus, fecerit quantum potuit, & omne conatum adhibuerit ad illam re- movendam, aliàs, voluntariè diceretur impedimentum pati, ut communiter docent DD. quos referunt, & sequuntur Barbof. *supra Concil. sess. 23. de refor. c. 2. n. 3. Sperell. decis. 85. n. 26.*

17. Si enim Episcopus nullam, vel minimam adhibuerit diligentiam ad re- movendum tale assertum impedimen- tum (quod studio potest superari,) ac- cingendo se ad actus proximos, experi- mentum, seu periculum faciendo, uti- que ineptitudo supposita eum non excusabit à culpa: Quia quisque tenetur scire ea, quæ ad suum statum, & officium spectant, quæ qui negligit habere, vel facere, peccat peccato omissionis, ut ex D. Thom. 1. 2. *quæst. 76. art. 1. bene probat Sebast. Medic. in Sum. peccator. capi- tal. tit. 5. qu. 37.* Unde Episcopus igno- rans, quia non vult scire, ignorabitur juxta illud Pauli 1. ad Corinth. 14. quod dictum refert Navarr. *conf. 1. de Constit. num. 1. ubi ad casum apta leguntur hæc verba: Cui consequens est, ignorantiam, quam quis habet, quia non vult scire quo li- berius peccet (& nos dicamus quo liberius* ocie-

ocietur) quæ appellatur affectata, vel ob negligentiam laborandi & efficiendi, quod ad sciendum homines suæ conditionis arbitrio prudentis viri efficere debent, quæ appellatur crassa, non excusare, ut idem S. Thom. tradit in d. art. 8. & probatur per illud Apostoli 1. Corinth. 14. ignorans ignorabitur, quod intelligitur de eo, qui noluit intelligere ut bene ageret, Psal. 68. c. idem 37. dist. noluit inquam aut optando non intelligere, aut non faciendo id quod debet ad intelligendum. Hæc Navarrus.

18. Et magis proximè Paris. de resign. lib. 5. quæst. 8. num. 105. ubi de idoneitate Episcoporum loquendo sic ait: Secundò deduco aliam conclusionem, ut Episcopus competentis litteraturæ sit tolerandus in Episcopatu, etiam si sit ignarus administrare temporalia, & spiritualia. Verùm (nota) tenetur addiscere ea quæ spectant ad suum officium, Innocent. in d. c. nisi, & idem quis non excusatur prætextu ignorantiae, quando addiscere potuit, quod ignorat, etiam si Episcopus esset senex. Et num. seq. Quamvis nemo teneatur ad sciendum, sed ad operandum secundum conscientiam, & ad credendum, &c. tamen speciale si hoc casu ratione officii, &c. secundò quamvis ignorantia non sit peccatum, tamen in his qui sunt in aliquo officio, & negligunt discere ea, quæ pertinent ad illud officium, est peccatum.

19. His quatuor assertis impedimentis expolis. Ad quintum responsam dedere Fagnan. & Pirhing. loco superius in principio citato, nuper elapsi sæculi Canonum verè Doctores. Sicque ex hucusque degustatis non obscure (ni fallor) apparet, quod causæ, quas afferunt Pasqualig. & Pignatell. ad excusandos Episcopos à munere prædicationis per se ipsos, esse prorsus irrelevantes. Consultoque me horum Authorum dicta, non Sanctorum Patrum, non Eremitarum auctoritate; sed Canonistarum, & aliorum DD. moderniorum, tum in Divinis litteris, tum in forensibus disciplinis, & institutis apprime versatorum, refutare voluisse, ne Episcopi, qui malè hæc audiunt, inde novam surriperent excusationem, hanc scilicet, quam tradimus, esse doctrinam antiquatam, & solum sæculis jam præteritis applicabilem.

20. Non infior tamen (quæsito in principio proposito quantum mea fert capacitas satisfaciam) plures dari excusationes, quæ reputantur legitimæ, quarum Prima est, ineptitudo, seu hebetudo invincibilis Episcopi, quæ studio, & experimento superari non potuerit; nam cum ignorantia, seu inhabilitas invincibilis ad operandum (quæ talis dicitur quoties studio removeri non potuit) non sit peccatum, ut ex D. Thom. 1. 2. qu. 76. art. 1. probat Medic. in Sum. peccat. capital. tit. 5. qu. 37. & 38. neque removibilis, res videtur redacta ad impossibile, cujus nulla est obligatio, l. nemo potest, ff. de regul. jur.

21. Secunda, Infirmetas corporis, aut mentis: Etenim corpore infirmus non tenetur ad munera personalia, neque comprehenditur in generali dispositione, ut plura privilegia infirmorum referendo tradit Medic. in tractat. de fortuit. casibus part. 2. q. 6. num. 21. & 28. Infirmus verò mentis, puta oblivione seu memoriæ imbecillitate, furore, vel dementia impeditus, multò magis excusabitur: quia qui hæc patitur æquiparatur absenti, & dormienti, ut dicit Medic. loc. citat. quæst. 5. num. 9. & ignorantia invincibili, Dian. part. 3. tract. 6. resol. 41.

22. Tertia. Absentia à Civitate, vel Diocesi ex causis à jure approbatis, quas Concil. Trid. sess. 23. cap. 1. de reform. ad quinque reducit, scilicet Charitas, Urgens necessitas, Obedientia, Ecclesiæ suæ aut Reipublicæ utilitas, Officium aliquod Episcoparui annexum: quas sigillatim explicat Passerin. de stat. hom. tom. 1. qu. 185. art. 5. à num. 53. ad 74. præviaque licentia Sedis Apostolicæ juxta dispositionem Bullæ Urbani VIII. Constit. 190. Bullar. tom. 5.

23. Quarta. Concurrentia non solum Pontificalium, sed etiam aliarum publicarum functionum, quæ sunt in Ecclesia Cathedrali de mane in die Concionis, in quibus notabile temporis spatium infumitur, puta Processionum cum Missa solemnè, Communionis generalis, Expositionis publicæ Venerabilis Sacramenti, & similibus. Ut enim populus in his functionibus libertate spirituali fruatur, & devotio illimitata temporis men-

mensura erga illas augeatur, non erit Concioni revocandus, neque ordo turbandus, sed poterit Episcopus, immò & debet à publica Concione abstinere. Lex etenim semper loco, & tempori debet convenire, ut docet *Text. in c. erit autem ubi glos. verb. temporis 4. dist.* & cum non possit omnes casus aperte determinare, ratione naturali dictante, de similibus ad similia procedit, ut inquit Abb. *conf. 20. n. 1. vers. Et primo præmitto p. 2.*

24. Quinta. Flagellum pestis; tempore enim pestilentiae non est publice concionandum, ne populus in unum conveniens morbo epidemico inficiatur: sed tunc egestatibus populi tam corporis, quam animae, eleemosyna, & administratione Sacramentorum erit per Episcopum succurrendum exemplo D. Caroli Barbof. *de potest. Episc. alleg. 53. post n. 9.* Et est regula, quod omittens aliquod facere causa pestis, non dicitur negligens, Paris. *de resignat. lib. 11. q. 13. n. 61.*

25. Sexta. Inopinata, & urgens necessitas, quæ temporis dilationem non admittit, in die Concionis consilium, auxilium, & opem rebus publicis, seu privatis in re gravi præstandi, si æquè benè per alium præstari nequeat: Quia sicuti necessitas excusat laborantem die festo, & illum, qui ut ei succurrat operatur, Navar. *conf. 2. de ferii n. 1. 3.* ita Episcopus, qui debet esse semper paratus ad opera misericordiae præstanda, poterit Concionem relinquere, ut proximo in necessitate absoluta constituto subveniat: tunc enim relinquitur opus Dei pro Deo, pro ut non semel fecisse legitimus Sanctum Episcopum Salesium.

26. Septima. Modica interpolatio, seu intermissio Concionum ex aliqua honesta causa, puta Messium, & Vindemiarum: Nam respectu ad tempus totius anni, dicitur modica intermissio. Et quamvis Concilium *sess. 24. cap. 4. de reform.* dicat, quod Episcopus saltem omnibus Dominicis, & solemnibus diebus festis teneatur verbum Dei annunciare: Nihilominus verba Concilii sunt intelligenda civiliter, salva honestate, & tempore congruo, ut de obligato ad residendum *continuo*, interpretatur Card. Tusch. *lit. C. conclus. 977.*

n. 2. & 3. ubi ad hoc refert illud dictum: *Numquam de manu tua exeat Psalterium: hoc est horis congruis.*

27. Et sicuti Cappellanus, qui ex præcepto Testatoris quotidie tenetur celebrare, potest ex sententia hodiè communi, & a Sac. Congregatione Concilii approbata, semel in hebdomada licitè vacare: ita poterit Episcopus, qui tantum lege (quæ mitius agit) arctatur ad concionandum omnibus diebus Dominicis, & festis solemnibus, ex dicta honesta causa per sex, vel octo Dominicas infra annum à Concione inculpabiliter vacare. Et quamquam suo muneri non satisfaciendo *strictè subjaceat ultioni*, ut habetur in *cap. 2. sess. 5. de refór.* Attamen si pro majori parte anni adimpleverit, erit immunis à culpa; exemplo ejus, qui obligatus solvere certam quantitatem ad certum tempus, aliàs non solvendo tempore designato, teneatur ad certam poenam; si solvit majorem partem debiti, non incidit in poenam propter minorem partem non solutam, ut communiter tradunt Canonistæ in *c. super his 8. de poen.* quos refert, & sequitur Barbof. *ibid. n. 1.*

28. Hæc in mea sententia, (sub censura tamen Sanctæ Sedis) sunt juridicæ excusationes, quæ sub regula generali cadere possunt; cæteras ex identitate, vel majoritate rationis æquè justas, & contingibiles, per Episcopum cordatum examinandas relinquendo.

29. Duo autem æra minuta supradicta in præfatorum Assertorum disciplina Ecclesiasticæ Gazophylacio inops intuli, non ut Episcopos Verbum Dei non prædicantes ausim damnare: sed cum eos legitime non impeditos cum Pasqualigo, & Pignatello excusare non potuerim, rationum monumenta, & auctoritates exhibui, memor verbi Jesu (cujus vices in suis Ecclesiis ipsi gerunt) qui dixit se ad prædicandum venisse, ut *Marc. cap. 1.* testatur ibi: *Eamus in proximos vicus, & Civitates, ut ibi prædicem, ad hoc enim veni, & Luc. cap. 4.* ibi, *Oportet me evangelizare Regnum Dei, quia ideo missus sum: necnon gestorum Divorum Francisci, Vincentii Ferrerii, Bernardini, & aliorum quorundam Sanctorum, quorum Con-*

Concionibus (licet nimia verborum simplicitate essent compositæ) multa hominum millia legimus ad Deum fuisse conversâ, non aliis viribus, quàm viribus ardentissimæ charitatis, quàm in eorum cordibus Spiritus Sanctus accendit; charitas enim foras mittit timorem, omnia suffert, omnia sperat, omnia sibi possibi-

lia ducit, & cum Apostolo clamat, *Omnia possum in eo, qui me confortat. Philip. 4.*

Cætera quæ hic ad intelligentiam, & ornatum hujus Constitutionis afferri possent, tetigimus in tit. de for. pœnit. For. 3. 4. 5. & 6. & in tit. de var. provis. Form. 6. & 7. & in tit. de Monialibus Form. 24.

Decretum Sacræ Congregationis circa Indulgentiarum validitatem.

CUM à Sac. Cong. Indulgentiis, Sacrisque Reliquiis præposita Cameracensis Archiepiscopus quævisisset, quæ vis, & sententia clausulæ, quæ hodiè Brevibus Indulgentiarum apponi solet, *Volumus autem, ut si alias Christianis fidelibus d. Ecclesiam qualibet anni die visitantibus aliqua alia Indulgentia perpetua, vel ad tempus nondum elapsum duratura, concessa fuerit, præsentis litteræ nullæ sint;* Sac. Congreg. re diligentius examinata, clausulam sic explicandam censuit, si videbitur S. D. Nostro. Ea minimè contineri Altaria privilegiata pro Defunctis, neque Indulgentias, aut certo generi personarum concessas, ut Confraternitati, Regularibus, & Capitulo, aut certum pium opus in ipsa Ecclesia peragentibus, ut Litanias, aliasve hujusmodi preces recitantibus, ac iis qui Christiana doctrina erudiuntur, vel alios erudiunt, & qui Sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti expositioni cum Oratione Quadraginta horarum interfunt, neque Stationum Urbis, & septem Altarium Indulgentias instar septem Altarium Basilicæ Vaticanæ concessas, neque demum, quæ pro unica vice conceduntur. Cæterum si alia Indulgentia, sive non plenaria in perpetuum, vel ad tempus, tum ab eodem, tum ab alio Romano Pontifice, generatim Christianis fidelibus Ecclesiam, vel aliquod ejus Altare, seu Cappellam visitantibus, eodem anni die, vel diverso, concessa fuerit, de qua non fiat in litteris Apostolicis mentio, has litteras ob adjectam clausulam esse prorsus irritas, ac nullas.

Datum die 23. Junii 1676.

De his autem facta relatione ad Sanctiss. Dominum Nostrom die 18. Martii 1677. sententiam Congregationis approbavit.

C. Card. Maximus.

Michael Angelus Riccius Secret.

Aliud Decretum de Indulgentiis fictis.

DElatæ sæpiùs fuere ad Sac. Congr. Indulgentiis, Sacrisque Reliquiis præpositam, Indulgentiæ quædam consistæ, & omninò falsæ, quæ per diversas Orbis Christiani partes circumferuntur; aliæ verò examinandæ, quæ adhibito studio invente sunt, vel apochryphæ, vel à Romanis Pontificibus revocate, vel nullæ, quòd datum eis tempus præteriiisset; quarum quidem plurimæ, cum non facilem cognitionem habeant Christiani fideles harum rerum, minùs pe-

ritos

ritos fallunt, qui spe indulgentiæ, remissionisque peccatorum suorum confequendæ frustrantur. Quamobrem eadem Sacra Congregatio vehementer cupiens huic malo magis in dies serpenti occurrere, animarum profectui, & Indulgentiarum dignitati consulere, plures illarum singulari diligentia colligi, & in indicem referri curavit.

Tales in primis sunt ille, uti asserunt, concessæ à Joanne II. & Sixto IV. recitantibus Orationem charitatis Jesu Christi D. N. *Precor te, Piissime Domine, &c.* ab Urbano II. Ecclesiæ S. Mariæ, ut vulgò dici solet, *Campagnole, & S. Victoriaræ*, ab Eugenio III. Revelationi de plaga in humero Jesu Christi factæ S. Bernardo, ab Innocentio III. Archiconfraternitati, & Ordini Redemptionis, à Bonifacio IX. visitantibus Cappellam S. Nicolai de Tolentino in ejus die festo, à Joanne XXII. osculantibus mensuram plantæ pedis B. Mariæ Virginis, ab Alexandro VI. Imagini B. Mariæ vulgò dictæ, *Laghetti*, à Leone X. gestantibus funiculum S. Francisci primùm in Urbe impressæ, deinde Mediolani anno 1665. (suas tamen habent, & veras Confratres Archiconfraternitatis Cordigerorum S. Francisci) recitantibus Salutationem Angelicam ad pulsus horologii, & Imagini Conceptionis Mariæ Virginis Immaculatæ in circulo depictæ, cujus pedibus Luna subiecta est, à Pio IV., vel Pio V. Principi Senarum, à Clemente VIII. dicentibus Orationem, *O magnum Mysterium &c.* & Ecclesiæ S. Mariæ, quam vocant *Montis Serrati*, Avenione impressæ, tum aliæ pro animabus Christifidelium Defunctorum impressæ *Matriæ* 20. Julii 1606. à Paulo V. cantantibus Hymnum, *Te Matrem Dei laudamus, Te Mariam Virginem confitemur &c.* vel si die Sabbathi intererint dum idem canitur, & *Coronis, Rosariis, Imaginibus, & Numismatibus*, quæ Medalias appellant, ab eo benedictis, Federico Cardinali Borromeo supplicante anno 1611. dum Ecclesia Romæ in honorem S. Caroli ædificaretur, & ab eodem Paulo, & Gregorio XV. dicentibus, *Sia lodato il Santiss. Sacramento, Laus Sanctiss. Sacramento*, ab Urbano VIII. in honorem ejusdem Sacramenti, precibus Cardinalis Magalotti, & Sacerdotibus celebrata Missa dicentibus, *Ave filia Dei Patris, Ave Mater Dei Filii &c.* à Clemente X. recitantibus mane, meridie, ac vespere consuetam Antiphonam, *Angelus Domini &c.* & in fine *Deo gratias, & Mariæ*, ac demum aliæ à nonnullis Romanis Pontificibus tributæ, ut ajunt, *Coronis Mysteriorum Passionis Domini Nostri Jesu Christi ad preces Magni Ducis Etruriæ.*

Talis Indulgentia Sodalitatis S. Nicolai, qua repetita quinque Oratione Dominica, & Salutatione Angelica, unam liberari Animam quolibet die à Purgatorii poenis affirmant. Tales aliæ *Perusii Confraternitatis SS. Sebastiani, & Rochi, & Romæ Societatis S. Bernardi ad Columnam Trajani*; tales demùm aliæ *Cruce signatorum S. Eustorgii Mediolani, Arimini, & Bononiæ.* Ejus generis sunt & illæ concessæ, ut ajunt, *Cappellæ Rosarii in Ecclesia Sancti Antonii de Rovigo, seu Rodigii, vel Ecclesiæ Sanctissimæ Trinitatis Bergomi, aut S. Petri Montis Todoni die festo Inventionis Sanctissimæ Crucis, vel gestantibus funiculum Sancti Francisci de Paula, vel celebrantibus Missas Sancti Augustini, aut alias quinque in honorem quinque festivitatum B. V. vel recitantibus Officium Sanctæ Franciscæ Romanæ, aut Antiphonam, O Passio magna &c. in memoriam Passionis Jesu, aut Rosarium Sanctæ Annæ* quod

(quod Congregatio Sac. Rituum non probat) aut Orationem, quæ impressa cum Imagine Sanctæ circumferri solet, *Ave gratia plena &c.* (quæ Oratio prohibetur) aut Officium Conceptionis B. V. Immaculatæ, quod asserunt à Paulo V. probatum fuisse, aut Orationem, *Deus qui Nobis in S. Syndone &c.* (excipitur Indulgentia centum dierum anno 1671. concessa precibus Ducissæ Sabaudia ad annos 25. cunctis in illius ditione degentibus) aut aliam *Ave filia Dei, &c.* post communionem recitandam, vel aliquo conspicuo signo venerantibus Santissimi Eucharistiæ Sacramenti nomen; Indulgentiæ rursus octoginta millium annorum veteris Tabula exscriptæ, quam in Basilica Lateranensi asservari affirmant, pro dicentibus Orationem illam verè piàm, *Deus qui pro redemptione Mundi &c.* tum quæ impressæ fuerunt Papiæ Anno 1670. sub hoc titulo, *Sommario delle Indulgenze concesse dalla Sanità di N. S. Papa Leone X. all' Imagine della Concezione della Gloriosa Vergine Maria*, vel Pisauri sub nomine B. Joannæ, anno 1608. evulgatæ, vel Barlettæ, seu Baruli à recitantibus quasdam non sanè malas Orationes, lucrandæ, vel Parmæ à visitantibus per Quadragesimæ dies Ecclesias Tertii Ordinis S. Francisci, vel Pistorii, & Vastallæ à recitantibus Orationem *Ave Sanctissima Maria Regina Cali &c.* & aliæ in peculiari impresso libro descriptæ, quibus frui dicunt devotos Seraphicos, & Benefactores.

His annumerandæ sunt, quæ Crucibus Caravacensibus tributæ dicuntur, vel Coronæ, sive Stellario Conceptionis Virginis Immaculatæ, quod ex duodecim globulis precariis constat, vel Granis, Crucibus, & Coronis Aloysiæ ab Ascensione Hispanæ Monialis Ord. S. Claræ, vel mensuræ altitudinis Jesu Christi Domini nostri, vel Imagini, aut mensuræ vulneris lateri ejus inflati; vel Orationi, ut ajunt in Sepulchro Domini nostri repertæ, & Indulgentiæ, ut ajunt, innixæ Revelationi factæ Sanctis Birgitte, Mechtildi, & Elifabeth, vel B. Joannæ de Cruce, & concessæ, ut asserunt, granis, quæ aliquod ex tribus granis tetigerint extantibus penes Romanum Pontificem, Hispaniarum Regem, & Ministrum Generalem Fratrum Minorum Observantiæ S. Francisci.

Omnes verò, & singulas jam dictas Indulgentias Sac. Congregatio partim esse confictas, & planè falsas declarat, partim apocryphas, vel ex alio capite nullas, quæ nemini suffragari possunt; easque in futurum ullo in loco, ut veras publicari, & lucrandas Christifidelibus proponi vetat; foliaque & libros, ubi sic proponuntur, seu asseruntur, omnino precipit aboleri, nisi prædictæ indulgentiæ fuerint diligenter expunctæ; nec ideo tamen vult alias, quas hoc Decretum non continet, pro veris, & legitimis, tacitèque probatis haberi.

Ac demum omnes Indulgentias concessas ante Decretum Clementis VIII. latum die 9. Januarii 1597. Coronis, Rosariis, Granis, seu Calculis, Crucibus, & Imaginibus Sacris, vel ante Breve Pauli V. quod incipit *Romanus Pontifex &c.* editum 23. Maii anno 1606. personis Regularibus quarumcumque Religionum, & Ordinum, etiam Mendicantium, vel ante Constitutionem 115. Clementis VIII. cujus initium *Quæcumque &c.* & 68. Pauli V. incipientem, *Quæ salubriter &c.* habitas per aggregationem, vel aliam communicationem ab Archiconfraternitate ulla, Ordine, Congregatione, Societate, etiam Jesu, Capitulo, vel Cætu quocumque, vel ab eorum Officialibus, Superioribus, aliisque personis, vel persona, etiam si earum, vel ejus me-
tio

tio specialis, & individua facienda esset, nisi fuerint deinde Romani Pontificis autoritate innovatæ, aut confirmatæ, nullius esse roboris, & momenti pariter declarat.

Porro Summaria Indulgentiarum pro Congregationibus Doctrinæ Christianæ, Confraternitatibus Sanctis Trinitatis, & Redemptionis Captivorum, Nominis Dei, Rosarii, B.M. de Mercede, & Redemptionis Captivorum, B.M. de Monte Carmelo, Centuræ S. Augustini, & S. Monicæ, nisi ab eadem Congregatione recognita, non permittuntur.

Indulgentias verò Stationum Urbis, quæ à Romanis Pontificibus singulari quodam beneficio, vel communicatæ sunt, vel communicabuntur interdum aliquibus locis, Ordinibus, aut personis, diebus tantum Stationum in Missali Romano descriptis suffragari posse declarat: Semel autem dumtaxat in die plenariam Indulgentiam in certos dies Ecclesiam visitantibus concessam, vel aliud pius opus peragentibus lucriferi.

De quibus relatione facta per Secretarium ad Sanctissimum, cuncta Sanctitas Sua probavit, & inviolatè servari iussit.

Datum Romæ die 7. Martii 1678.

Aloysius Card. Homodeus.

Loco ✠ Sigilli.

Michael Angelus Riccius Secret.

(Et sequitur publicatio dicti Decreti.)

Aliud Decretum ejusdem Congregationis.

PROposito Dubio: An verba Pontificii Brevis concedentis Indulgentiam omnibus utriusque sexus Christianis fidelibus, Cappellam intra Claustra Regularium sitam visitantibus, sic accipi possint, ut comprehendant Cappellam in ipso Dormitorio constructam; Sac. Congr. respondit, minimè illam comprehendere, nullamque tribui facultatem Mulieribus ingrediendi Claustra.

Datum Romæ die 2. Maii 1679.

A. Card. Homodeus.

Michael Angelus Riccius Secret.

ADNOTATIO.

HÆC quæ hic de Indulgentiis Decreta allata sunt, non indigent glossa. At super his monendi sunt ab Episcopo Parochi, aliive Animarum Rectores; ut de usu, & vigore Indulgentiarum populum reddant instructum, ad hoc ut debita dispositione accedant ad lucrandum eas, ne illis abutantur; & venenum potius, quam œdelam inde propinent.

Litteræ Sac. Congr. Concilii enciclicæ super Patrimonio Ordinandorum.

SUMMARIUM.

1. Cappellaniæ cum onere celebrationis Missarum non sunt Beneficia, quavis sint perpetuæ; neque ad illarum titulum potest quis ordinari, necessitate, aut utilitate Ecclesiæ non concurrunt.

- currente, & num. 2. 3. 4. 5. & 6.*
- 7 *Viri docti, & probatae vitae possunt ordinari ad titulum Patrimonii, etiamsi necessitas Ecclesiae non adsit.*
- 8 *Ordinari quis non potest ad Ordines Sacros ad titulum fidejussionis alimenterum personae dixit, quamvis adsit necessitas Ecclesiae, & reiicitur opinio Pignatell. n. 9.*
- 9 *Ordinati ad titulum Patrimonii, an, & quando cogantur residentiam facere & ab Episcopo ad redeundum*

- cogi, & num. 12. & 13.*
- 10 *Clausura -- arbitrio contenta in rescripto Papae confert Delegato ejus auctoritatem, & n. 15. & 16.*
- 17 *Potest quis ordinari à proprio Ordinario ad titulum Beneficii, licet tenuis, dummodo adjuncto Patrimonio sit simul sufficiens ad victum.*
- 18 *Patrimonium, ad cujus titulum quis promotus fuit, remanet exemptum ab oneribus, & collectis etiam post Beneficii assecutionem.*

ET si Sac. Concil. Trid. cap. 2. sess. 21. de Reform. disertè caveatur, ne quis Clericus Sæcularis, quamvis aliàs sit idoneus moribus, scientia, & ætate, ad Sacros Ordines promoveatur, nisi priùs legitimè constet eum Beneficium Ecclesiasticum, quod sibi ad vitam honestè sufficiat, pacificè possidere: Patrimonium verò, vel Pensionem obtinentes ordinari non possint, nisi illi, quos Episcopus judicaverit assumendos pro necessitate Ecclesiarum suarum: Temporis tamen cursu animadversum est nonnullos Episcopos ab hac Ordinandi norma, absque ullo discrimine deflexisse, passim quoscumq; ad Patrimonii titulum ad Sacrum Ministerium admittendo. Quantum ex hoc jacturæ in Ecclesiastica disciplina acceptum fuerit, manifestum est. Quare Sanctissimus Dominus Noster pro suo insigni zelo malis hujusmodi providè obviaturus prædictæ dispositionis exactissimam observantiam in Urbe in primis instauravit, deindè per hæc circulares litteras Ordinariis omnibus Tridentini Decretum in memoriam reduci mandavit, quatenus omnes illud sanctè custodiant, sciantque non aliter quem Ordinandum ad titulum Patrimonii, & Pensionis, nisi cum Ecclesiae necessitas, vel commoditas, ita exigat, qua in re prudens Ordinarii, timoratumque judicium versari debet. Dominatio igitur tua Sanctitatis Suae exemplo, & mandato sese conformare non omittat, dum ei omnia prospera precamur à Domino.

Romæ 3. Maii 1679.

Dei Frater

F. Card. Columna Præfectus.

S. Archiep. Brancacius Episcopus Viterb. Secr.

ADNOTATIONES.

1. **B**ENEFICIUM ECCLESIASTICUM. Quia ut plurimum Diceses Beneficiis non abundant, sed pauca, & exigui redditus habent, quærunt sæpè Episcopi, an Cappellaniæ perpetuæ, quæ ex piorum disponentium legato cum sua Dote, & onere Missarum frequenter relinquuntur absq; formali erectione cum auctoritate, & Decreto Ordinarii, possint

dici saltem lato modo Beneficia, ad hoc ut quis ad illarum titulum valeat promoveri, etiam necessitate Ecclesie, vel commoditate non concurrentes.

Et videtur respondendum quod non, quia hæ Cappellaniæ dicuntur legata pia, & illarum bona laicalia, & temporalia, ut firmavit Rot. coram Duno. Jun. decis. 101. numer. 1. & 2. & magis præcisè Rocc. prax. for. Eccles. part. 4. resol. 136. num.

num. 1. cujus verba sunt -- quod quamvis talis Cappellania debeat esse perpetua usque ad obitum Cappellani, & habeat cætera requisita præter auctoritatem, & institutionem, seu provisionem Ordinarii, nihilominus non erit Beneficium Ecclesiasticum, ex quo primum, & quartum requisitum desiciunt &c. & numer. 3. -- Pariter quoque potest Laicus Patronus, vel quilibet alijs hæres illam conferre si Testatoris voluntas ita voluerit, sine aliquo Episcopi consensu &c. Quò fit ut ratione talis Cappellaniæ non teneatur quis ad recitationem Canonici Officii &c. & num. 4. -- prout neque ad titulum illius, tanquam ad titulum Beneficii, potest quis ad Sacros Ordines promoveri, Calced. in praxi, Diaz cap. 18. num. 9. Spin. de Testam. gløf. 4. principali num. 42. &c.

2. Et ratio convincens ea est quia non dantur ut Ecclesiastica bona ratione Ministerii Ecclesiastici, & juris spiritualis, sed pro operibus præstitis, & Missis celebratis, tanquam merces, & salarium, cap. Clerici 16. quæst. 3. nec requisita substantialia ad constituendum Beneficium Ecclesiasticum concurrunt, de quibus habes apud Gonzal. ad reg. 8. gløf. 5. n. 6. & seqq. à quo Ricc. verba supra relata mutuo accepit, & conclusionem.

3. Cum Gonzal. & Riccio concordat Garz. de Benefic. parte 1. cap. 2. num. 112. ubi sic ait: Advertendum autem est, quod licet ad titulum harum Cappellaniarum non collatarum non possit quis ordinari, tanquam ad titulum Beneficii, Salzed. Spin. Gonzal. &c. tamen poterit ordinari ad titulum earum si sunt perpetuæ, tanquam ad titulum Patrimonii, juxta d. cap. 2. Concilii sess. 21. de Refor. & idem firmat Ventrigl. in praxi p. 1. Adnot. 42. §. 1. n. 4.

4. Ac hæc comprobatur Lotter. de re Benef. lib. 1. num. 59. his verbis: Quod procedit etiam si sub titulo Cappellæ, vel Altaris relictum sit, nam nisi accesserit auctoritas Episcopi, usque adeò erit extraneum à natura Beneficii Ecclesiastici, ut possit concedi per Laicum, Ripa ubi supra, non quidem in titulum Beneficii, sed per modum simplicis deputationis Sacerdotis ad offerendum &c. Attamen per deputationem illam non dicitur talis, Rector, sed simplex Offi-

ciatur &c. & numer. 59. -- De jure enim tales Cappellaniæ cum onere celebrare faciendi certas Missas simpliciter constitutæ de bonis temporalibus, & sine auctoritate Episcopi, censentur laicales, & temporales &c.

5. Dum igitur Concilium mandat neminem ordinari posse, nisi prius legitime constet eum Beneficium Ecclesiasticum pacifice possidere, clarum videretur, quod non censeatur adimpleta dispositio Conciliaris, si Ordinandus offerat pro titulo unam, vel plures ex præfatis Cappellaniis, quæ non in titulum Ecclesiasticum, sed potius in locationem operum cum mercede conferuntur, ut supra dicebamus.

6. Præmissis mirabiliter conferunt dicta à Passerin. in cap. Nullus num. 66. de temp. ordin. in 6. ubi quærens utrum quodlibet Beneficium habitum in Diocesi aliena, subjectum reddat Beneficium ad effectum, ut ab Episcopo illius Diocesis Ordines suscipere valeat, loquendo de Cappellaniis, hæc habet -- Pariter neque ad hunc effectum sufficiunt Cappellaniæ non collativæ etiam perpetuæ quæ non sunt fundatæ auctoritate Episcopi, nec ab ipso erectæ in titulum Beneficii, & providentur ab Hæredibus Fundatoris etiam Laicis. Iste enim non sunt propriè Beneficia, Navar. &c. Et ideo ex vi similis Cappellaniæ non fit Cappellanus subditus Episcopo loci quoad Ordines ab eo suscipiendos.

7. **VEL COMMODITAS.** Hi ergo, qui verum Beneficium non habent, poterunt ab Episcopo ad Ordines Sacros promoveri, (quatenus necessitas, vel commoditas Ecclesiæ suæ id exposcat) ad titulum Patrimonii, sive Pensionis: quæ necessitas, vel saltem commoditas regulariter adest in personis doctis, & probatæ vitæ, quæ ordinari possunt ad hunc titulum, ut jam dixi in Adnot. ad Form. 17. tit. de liter. testimonial. ex Ricc. & Ventrigl. quibus nunc addo Garz. de Benef. part. 2. cap. 5. nu. 75. ubi ampliat hoc verum esse, & tenendum etiam si hujusmodi Clerici Ordinandi sint absentes.

8. An autem qui Patrimonium non habet, sed obligationem exhibet alicuius homi-

hominis divitis personalem, & realem bonorum subministrandi Ordinando alimenta in titulum Patrimonii, ad Sacros Ordines promoveri valeat? Pignatell. *consul. 4. tom. 8.* tenet quod accedente necessitate, vel utilitate Ecclesiæ, iudicio Episcopi debeat admitti, & titulum esse validum. Ac contra Pignatell. stat communis praxis, ac etiam DD. sententia contraria, qui tradunt ex Decreto Sac. Congregat. quem ordinari posse ad titulum subministrations alimentorum, in solo tantum casu penuriæ Sacerdotum, nulla alia habita consideratione ad obligationem personalem, vel realem spondentis, in qua se fundat Pignatell. ut videre est apud Paril. *de resign. libr. 2. quest. 6. n. 1.* Garz. *de Benefic. part. 2. capit. 5. n. 96.* & 97. Nicol. *lucubr. can. lib. 1. tit. 11. nu. 27.* qui Decreta Sac. Congregat. plura allegant, *Zacc. de republic. Eccles. tit. de Cleric. sub n. 7. vers. 84.* Barbof. *in Summ. decis. Apostol. collect. 543. n. 5.*

6. Et ratio hujus conclusionis est, quia Patrimonium ad cuius titulum quis ordinatur, debet esse res certa frugifera de cuius fructibus possit ordinatus liberè disponere, prout pluries Sac. Congregatio respondit, quod verificari non potest in fideiussione alimentorum præstandorum, licet promissio fuerit super bonis assicurata, Nicol. *ubi supra dist. num. 27.* & Garz. *num. 96.* Immo obligationem subministrandi alimenta loco patrimonii non esse admittenda, neque in casu penuriæ Sacerdotum, tamquam repugnantem dispositioni Concilii, tenet Pac. Jord. *tom. 1. lib. 3. tit. 6. num. 336.* Unde caveant Episcopi ne sententia Pignatell. decepti sanctionem conciliarem perperam laxi habentis, ita (ut ipse opinatur) servari posse interpretentur. Nam si promovendus debet patrimonium verè, & non fictè obtinere, ut Concilium expressè præcipit, non poterit ordinari, qui actionem tantum, & jus ad rem habet.

Et licet Pirhing. *in jus can. lib. 1. tit. 11. num. 73.* afferat in aliquibus Ecclesiis Germaniæ dictam cautionem admitti solitam esse ob penuriam Sacerdotum qui

Monacelli Form. Pars I.

absolutam provisionem obtinere non possunt: tamen fatetur quod pro observantia Concilii assignatio Patrimonii debet esse realis, ut ibi -- *Veruntamen saltem cautio hypothecaria fieri deberet assignata certare libera, & frugifera, unde annua pensio, vel sustentatio sufficiens accipi possit; tunc enim pensio illa imposta super re frugifera, sive jus illam percipiendi, est reale jus quoddam proprium ipsius Clerici, adeoque is ordinatur ad titulum proprii Patrimonii.* Et idem docent Fagnan. *in cap. Episcopus num. 26. & 27. de Præben. & Dignit. Pac. Jord. ubi supra n. 339.*

10. Hinc opportunè quæri etiam potest: An Presbyter ab Episcopo Ordinatus ad titulum patrimonii pro necessitate, & utilitate alicujus Ecclesiæ, possit illam deserere, vel si discedat, valeat ab eodem Episcopo, sive ejus Successore ad residentiam cogi? Et videbatur, quod non, ex Decreto Sac. Congregat. Concilii, quod refert Ricc. *dec. Cur. Archiepiscop. Neapol. 297. nu. 10. part. 4.* quod declaratur, quod Ordinatus ad titulum patrimonii certis diebus veluti diebus festis inservire Ecclesiis non cogantur.

11. At nihilominus tenendum est posse ad redeundum cogi: (quicquid enim sit de simpliciter ad titulum patrimonii ordinatis, & an hi cogi possint nec ne, de quibus loquitur Decretum à Riccio allegatum;) certum videtur, si Episcopus in actu Ordinationis se declaret Ordinatum ad hunc titulum admittere ad hoc, ut alicui Ecclesiæ loci Ordinandi inserviat in Divinis, vel alia munia, aut onera adimpleat, quæ non adimplentur ob defectum & penuriam Presbyterorum, hunc, & alios hujusmodi Ordinatos, remanere addictos servitio Ecclesiæ, à qua si discedant, juxta legem Sac. Concilii *sess. 23. cap. 16.* poterunt ad residendum in ea, censuris revocari, prout statuit D. Carolus *in Concil. Provinc. 7.* de quo testatur Gavant. *in manual. Episcop. verb. Clericus n. 38.* & admittit decretum Sac. Congreg. Concilii de anno 1628. emanatum in *Causa indiarum*, quod refert Pignatell. *consult. 56. num. 19. in fine tom. 3.*

Gg

12. Et

12. Et quamvis jure antiquo inspecto, Ordinatus ad titulum patrimonii non possit inhiatus in Diocesi detineri, ex quo non remaneat obligatus certam Ecclesiam officiare, ut dicit Abb. in cap. Tuis num. 7. de Præbend. aliud dicendum hodiè jure novo Concilii, quo inductum est, quod titulus patrimonii in posterum non admittatur, nisi dispensativè ob necessitatem scilicet, vel utilitatem Ecclesiarum, ut observat Fagnan. in dict. cap. Episcopus nu. 24. & 25. de Præben. & in cap. Admonet n. 31. de renunc. Sicque incongruum, immò absurdum esset, quod Ordinati pro necessitate Ecclesiarum ad titulum patrimonii, possent impunè illas deserere, absque obligatione illis inserviendi, ac ita Decreta Concilii, & Episcopi intentionem in Ordinatione expressam eludere; cum aliàs ad Sacros Ordines promoti non fuissent.

13. Si quis verò Clericus rescripto Pape obtineret (ut non semel accidit) quod possit ordinari ad titulum Patrimonii etiam Ecclesiæ necessitate, vel utilitate non concurrente, cum solita, & frequenti clausura-arbitrio Ordinarii-tunc Episcopus absque conscientiæ formidine illum promovere poterit: Nam licet clausula-arbitrio--regulariter importet arbitrium à jure regulatum: attamen regula procedit quoties rescriptum dirigitur alicui Tribunali, vel Judici, non autem quando Papa per viam extrajudicalem, & mera gratiæ rescribit; tunc enim dicitur conferre Delegato suam auctoritatem, ut bis interpretando prædictam clausulam resolutum fuit à Sacra Congregatione super Episcopos, & Regulares, nempe.

14. In Portugallen. Provincialatus Ord. S. Augustini, in qua cum pro electione novi Provincialis Papa rescripsisset--ad arbitrio del Protettore, & hujus rescripti vigore, Rectorem Provinciæ nemine vocato constituisset, parte electum recusante, (ex quo Protector nullo ordine servato elegeret,) & recursum petente, propositaque instantia pro infirmatione deputationis sic factæ, die 16. Maii 1692. rescriptum fuit--Deputationem Eminentiss. Protectoris sustineri.

15. In Avenionen. Cum quidam Religiosus Barbier Ord. Min. Conventual. gra-

tiam Affiliationis Conventus d. Civitatis rescripto Papæ--ad arbitrio del Card. Protettore, obtinuisset, & Religiosi dicti Conventus illam impugnant, asserentes nullam esse, ex quo Protector dispositionem Constitutionum Ordinis non servasset, proposita in eadem Congregatione 16. Maii 1692. responsum fuit -- gratiam affiliationis sustineri, eo præcipuo motivo, quod in hujusmodi rescriptis gratiosis, Delegatus procedat auctoritate Papæ, & non propria.

16. Potest etiam quis ordinari ab Episcopo propriæ Patriæ ad titulum Beneficii, licet tenuis dummodo adjuncto Patrimonio sit simul sufficiens ad victum, Quærant. in Summ. Bullar. verb. Ordo vers. secundo extende. Ricc. prax. for. Eccles. tom. 1. resol. 458. n. 3. ubi declarationem Sac. Congregationis affert. Quod tamen fieri non poterit ab Episcopo non suo, non solum ob præsumptam fraudem fugiendi iudicium, & declinandi jurisdictionem proprii Ordinarii: sed quia hodiè obstat novissima Bulla Innoc. XII. edita anno 1694. in qua diffinitur, neminem ratione Beneficii effici subditum Ordinantis, nisi Beneficium collatum sit per se ad victum sufficiens.

17. Bona autem pro titulo Patrimonii assignata ad Ordines suscipiendos, remanere exempta ab oneribus Cameralibus, & Collectis, etiam post Beneficii assuetudinem, utcumque ad victum sufficientis, quousque per Episcopum fuerit facta subrogatio specifica ejusdem Beneficii in locum dicti Patrimonii, pluries declaravit Sac. Congreg. Immunitatis, cujus Decreta retuli in Adnot. ad Form. XVIII. tit. de litter. testimonial. num. 2. pag. 70. nempe in Firmana 10. Julii 1640. lib. 3. Decret. Pauluc. fol. 133. in Civitatis Castellæ 5. Maii 1648. lib. 4. Decret. fol. 49. à tergo, & in Montis Alti 15. Junii 1649. lib. 4. Decret. Pauluc. fol. 81. Sac. Congreg. Concilii in Tolentina. ten. 10. Maii 1692.

Litteræ Sac. Congreg. Immunitatis pro Statu Ecclesiastico super damnis datis, Ordinariis locorum transmissæ.

SUMMARIUM.

1. *Causa damnorum datorum ab animalibus Ecclesiasticorum quomodo sint co-*

gnoscenda, ostenditur Decreto Sac. Congreg. Immunitatis.

2. *Pœna damnorum datorum non exigitur ab Ecclesiasticis, si damnum detur casualiter, & non culposè, sed datur extimatio noxæ.*

LA Santità di N. S. non intende, cheli Ministri e Lavoratori di persone Ecclesiastiche siano convenuti altrove, che nel Tribunale Ecclesiastico per le pene de' danni dati, nè che intorno à dette pene li medesimi soggiacciano à Statuto Laicale, mà perche la san. mem. di Clemente VIII. concede gl' emolumenti di tali pene alle Comunità dello Stato Ecclesiastico per una certa risposta annua, che le medesime fanno alla Reverenda Camera, affinche resti provisto all' indennità loro, hà S. B. comandato, che V. S. per Editto publico dichiari le pene, nelle quali devono incorrere i Ministri, e Lavoratori di persone Ecclesiastiche per li danni, che fanno *con gli Animali de' medesimi Ecclesiastici*, e venendo il caso del danno dato, proceda sommariamente alle pene comminate per Editto, applicandole sempre à beneficio di cotesta Comunità, ò suoi Affittuari, e regolandosi al solito intorno alla quantità della pena, in modo che la Comunità non riceva alcun pregiudizio. Così efeguisca, e Dio la prosperi. Roma 6. Luglio 1680.

Affettionatis. di V. S.

A. Card. Cybo.

A. Altovito Segretario.

ADNOTATIONES.

1. **C**ONGLI ANIMALI DE' MEDESIMI ECCLESIATICI. Si enim Animalia essent propria Colonorum, cognitio spectaret ad Judicem Laicum, ut Urbano Octavo approbante resolutum fuit à Sac. Congregat. Immunitatis 6. Decembris 1627. in Terracinen: cujus Decreti tenor talis est -- Quoad causas damnorum datorum per Clericos, & Ecclesiasticos, sive per eorum Animalia, necnon per familiares Ministros, & Colonos Episcoporum, & Mensæ Episcopalis, etiam Laicos, seu eorum Animalia in bonis quibuscumque tam Ecclesiarum, & personarum Ecclesiasticarum, quam etiam Laicorum, spectare ad Curiam Epi-

scopalem privativè. Si verò Laici, eorumve Ministri, & Animalia damnificent bona Ecclesiarum, & personarum Ecclesiasticarum, Curiam Episcopalem procedere posse, tanquam in causis mixti fori. At quando Coloni, & Ministri Ecclesiarum, Clericorum, & Ecclesiasticorum cum Animalibus propriis, bona Laicorum damnificent, cognitionem tam quoad bona, quam quoad personas Laicorum, & eorum Animalia, spectare ad Judicem Laicum privativè. Sed si cum Animalibus Ecclesiasticorum, vel Ecclesiarum, quoad personas spectare ad Laicum; quo verò ad Animalia, spectare ad Curiam Ecclesiasticam, nisi ex consuetudine quid ultra Ecclesiastici competat. Lib. 1. Pauluc. fol. 71.

2. INTORNO ALLA QUANTITÀ DELLA PENA.

Gg 2. Pce

Pœna non est exigenda ab Ecclesiasticis, | matio noxæ, ead. Sacr. Congr. Immunitatis
 feu illorum Colonis, quando damna dētur | in Anagnina 4. Decemb. & in Firmava 9.
 casualiter, & non culposè; sed tantum exti- | Octob. 1629. l. 2. Decr. Paul. fol. 8. & 15. terg.

Innocentii X I. Constitutio

Super Statutariis Successionibus.

INNOCENTIUS EPISCOPUS &c.

Pastoralis officii debitum, quo universis præsertim verò populis nostræ curæ, & sollicitudini, etiam in temporalibus creditis tenemur, exigit, ut ea provideri, statui, ordinari, & declarari debeant, per quæ illorum commodis, utilitati, quieti, & tranquillitati consultum sit, litiumque dispendia, & incommoda quantum fieri potest tollantur, & cessent. Cum itaque in nostra Urbe, penèque in omnibus aliis Civitatibus, Oppidis, & locis nostris, & S. R. E. status, & ditionis temporalis Italiæ, ordinata sint, atque vigeant Statuta, seu Decreta aliæque Leges, & Ordinationes, Apostolica expressa, vel tacita, sive à jure præsumpta confirmatione, & approbatione munita, per quæ, ut agnationum, & familiarum nobilitas, & decor, mediantibus bonis, & divitiis conserventur, intestatæ successiones agnatis masculis, exclusis feminis, aliisque per eas cognatis intra certos respectivè gradus deferuntur. Compertum verò sit, quod nonnullæ Doctorum, & Tribunalium interpretationes, ac limitationes, vel restrictiones præmissum finem à populis, juxta eorum ac regionis antiquos, & continuatos mores impediunt, præfatasque leges, ac provisiones penè inanes reddunt, sive frequentes producunt lites, perturbationes, incommoda, & dispendia, adeo ut quandoque expediat potius non deferri, nec aperiri successio- nis beneficium, quod ita in maleficium, propriæque assis jacturam convertitur. Undè propterea eisdem populi præfati nostri Status Ecclesiastici tam immediati, quàm mediati Italiæ apud Nos eorum voluntatem, ac desiderium explicantes preces porrexerunt, ut desuper opportune providere dignaremur, præfatorumque Statutorum, ac legum, seu provisionum generalem, ac indefinitam observantiam, prout jacent, & disponunt, demandaremus, quibuscumque Doctorum, & Tribunalium rejectis interpretationibus, adeo ut universalis, ac uniformis in quolibet loco sit ordo succedendi ad propriorum respectivè Statutorum, & legum normam, seu præscriptum. Hinc nos præmissorum populorum, qui Nobis, & Apostolicæ Sedi etiam in temporalibus, tam immediatè, quàm mediatè crediti sunt, commodo, utilitati, quieti, & tranquillitati quantum fieri potest, consulere cupientes, eorumque votis, & supplicationibus annuere volentes; Motu proprio ex certa scientia, & de Apostolicæ potestatis plenitudine, omnium, & singulorum Statutorum, Decretorum, & Legum, Constitutionum, & provisionum hujusmodi in dicta nostra Urbe, & universo nostro, & Sedis Apostolicæ Statu Ecclesiastico immediato, & mediato existentium, tenores præ expressis habentes, perindè, ac si de illis expressa, specialis, & individua mentio facta esset; hac nostra perpetuò valitura Constitutione, mandamus, decernimus, & statuimus, ut in successio- nibus imposterum, & post præsentium publicationem aperiendis, & deferendis, illa Statuta, Decreta, Leges, Constitutiones, & Ordinationes, quæ in præfatis nostri.

nostris Urbe, & Statu Ecclesiastico expressam in forma specifica, vel etiam in sola forma communi Apostolicam habeant confirmationem, & approbationem, sive illam habeant tacitam, & praesumptam, quae ex juris dispositione ob longissimi temporis observantiam inducitur, generaliter, & indefinite, prout jacent, ac disponunt ad favorem masculorum de agnatione in universo asse attendi, & servari debeant, quacumque sublata consideratione, vel differentia bonorum, eorumque situationis intra, vel extra Territorium, ubicumque existant, & sive sint libera, & allodialia, seu feudalia, vel emphyteutica, seu livellaria, etiam de directo Dominio Ecclesiarum, Monasteriorum, & piorum locorum, seu personarum Ecclesiasticarum, ubi lex investiturae non obstat, quae salva remaneat. Sublata quoque omni, & quacumque differentia, vel consideratione subjectionis, & respectivè exemptionis personarum, tam decedentium, quam succedentium, vel excludentium, & exclusarum, cujuscumque sint status, gradus, & conditionis, & quamvis agatur de Clericis, vel Regularibus utriusque sexus, aut de Ecclesiis, & Monasteriis, aliisque personis, & locis Ecclesiasticis, vel aliàs quomodolibet exemptis, & privilegiatis, quantumvis expressa, & speciali nota dignis, dum non ex ipsorum Statutorum, vel Statuentium aliqua jurisdictione, vel potestate, sed ex nostra dumtaxat Apostolica auctoritate hunc succedendi ordinem in dicto nostro Statu immediato, & mediato Italiae, ex justis causis animum nostrum dignè moventibus servari volumus, ac statuimus, attenta solum, ac generaliter naturali qualitate agnationis, & sexus pro dicto fine assequendo. Nullaque etiam ratione habita mixturae personarum non exclusarum in medio existentium, aliave qualitate, ob quam hujusmodi Statutorum, & legum cessatio, & reversio ad jus commune praetendi valeat, adeo ut unicum, uniforme, ac universale sit jus, & ordo successionis ad ipsorum respectivè Statutorum praescriptum, ex praefato agnationis favore. Quodque in quolibet casu dubio, & quomodolibet disputabili favore masculorum de agnatione in exclusionem foeminarum, & cognatorum, tam ascendentium, etiam Matris, quam descendentium, & collateralium, hujusmodi legum, & Statutorum interpretatio facienda sit. Ubi verò contingat non verificari Statutorum, personarum, & bonorum unionem, similitudinem, & combinationem, quam attendi, ac servari debere decernimus, vel quod non adsint Statuta personarum, sive illa extantia ob enunciatas Doctorum, & Tribunalium interpretationes, & restrictiones, aut aliàs quomodolibet suum non fortiantur effectum, tunc sublata (ut praemissum est) omni differentia exemptionis, & subjectionis personarum, & bonorum respectivè, generaliter, & prout jacent, attendi, ac servari volumus, decernimus, & mandamus Statuta locorum, in quibus bona existunt, ac possidentur, sive agatur de bonis stabilibus, sive de moribus, Censibus, locis Montium, Officiis vacabilibus, nominibus debitorum, juribus, & actionibus, & aliis, quamvis de illis esse dignoscantur, quae loco non circumscribuntur, sed personam sequuntur, & quamvis tam decedentes, quam excludentes, & exclusi exteri sint, Nobis, & Sedi Apostolicæ in temporalibus non subditi, dum etiam exteri acquirentes, ac retinentes praefata bona, & jura in praedictis Urbe, & Statu, censentur (contraria voluntate expressè non declarata) in animo habuisse hujusmodi bonorum, & jurium successionem regulari debere juxta leges, & ordinationes locorum, in

quibus existunt, ac retinentur, prout hunc animum præsumendum esse decernimus, statuimus, & declaramus. Quæ verò de intestatis successioneibus hætenus ut supra statuta, & disposita sunt, in Testamentariis quoque Successionibus attendi, & observari debere volumus, ac statuimus, quacumque pariter bonorum, & personarum differentia, & consideratione, ut supra sublatis, in iis casibus, in quibus eadem statuta, & leges locales in hac specie testatæ successioneis masculorum de agnationis favore disponunt, quoribus decedentium contraria expressa voluntas non advesetur. Non intendimus autem per præsentem Constitutionem, atque in ea disposita, in aliquo derogare, & præjudicare Constitutionibus Apostolicis rec. mem. nostrorum Prædecessorum Sixti Papæ V. Clementis Papæ VIII. Pauli Papæ V. Urbani VIII. Innocentii Papæ X. & Alexandri Papæ VII. & aliorum, si quæ adsunt super inhabilitatione forensium dicto nostro, & Apostolicæ Sedis dominio in temporalibus non subjectorum, qui statutis temporibus ad habitandum non veniant, & non observent ea, quæ in eisdem Constitutionibus disponuntur, ac demandantur; sed illæ salvæ, integræ, & in suo robore, ac firmitate permaneant. Sicque per quoscumque Judices Ordinarios, & Commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos &c. & quoscumque alios, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ubique locorum judicari, definiri, ac sententiarum debere &c. necnon irritum &c.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ 1680. sexto decimo Kal. Decemb. Anno Pontificatus 5.

Placet motu proprio B.

(*Et sequitur dictæ Constitutionis publicatio.*)

ADNOTATIO.

HÆC Constitutio, quæ ad conservanda bona in familiis saluberrima fuit, sustulit è medio plures forensium quæstiones, & litigia plurima, de quibus videre poteris apud modernum Panimol. decis. 99. & ibid. Adnot. 1. & alios per eum cumalatos.

Lettera della Sacra Congreg. sopra Vescovi, e Regolari d'ordine d'Innocenzo XI. per gli Esercizii Spirituali da farsi dagli Ordinandi, e Monacande.

SUMMARIUM.

Clerici exercitandi in Exercitiis Spiritualibus triplicem Spiritum pete-

re debent à Deo.

- 2 *Exercitia Spiritualia nomine tenus expleantur.*
- 3 *Quid animadvertendum sit in amplectendo statum Clericatus, quid cogitandum? ostenditur.*
- 4 *Cavendum ne admittantur, qui vocationem non habent sinceram.*
- 5 *Quid suggerendum sit in exercitatione, & num. 6.*
- 7 *Quid suggerendum Monialibus.*

Foris-- All'Eminentissimo, e Reverendissimo Sig. mio Osservandissimo. Il Sig. Card. N. Arcivescovo di N.

Intus vero-- Eminentissimo, e Reverendissimo Sig. mio Osservandissimo.

LA Santità di Nostro Signore, che con paterna sollecitudine riflette del continuo à tutti quei mezzi, che possono contribuire alla maggior sicurezza della salute dell'anime, conoscendo col suo santo zelo quanto sia necessario un precedente divoto raccoglimento di spirito per degnamente prepararsi, tanto in ordine alli promovendi al ricevimento degli Ordini, quanto rispetto alle Spose di Christo al vestir l'habito, e professare lo stato Religioso; Vuole, e comanda, che tutti li promovendi sì agli ordini Minori, come Sacri, debbano per dieci giorni continui avanti l'Ordinatione ritirarsi à fare gli Esercizii Spirituali nell'istessa conformità prescritta alli Promovendi in Roma nella Costituzione 126. della felice memoria di Alessandro VII. che comincia: *Apostolica sollicitudo*; e che parimente tutte quelle, che vorranno farsi Monache in qualsivoglia Monasterio, anche soggetto à Regolari, siano tenute fare i detti Esercizii Spirituali per dieci giorni avanti, che ricevano l'habito, e siano ammesse al Noviziato. E che li medesimi Esercizii si debbano ripetere per lo spatio di dieci giorni avanti, che siano ammesse alla professione, alla quale la Santità Sua comanda, che non devano esser ricevute, se prima non haveranno adempita questa santa preparazione. Desidera in oltre Sua Beatitudine, che si procuri con tutte le diligenze possibili, mà con modi soavi, e discreti, che ancora tutte le Monache professè una volta l'anno almeno per qualche tempo, che si stimerà opportuno, facciano li medesimi Esercizii per la rinovazione dello spirito tanto necessaria à chi con essersi rinchiusa ne' Sagri Chioftri deve professare lo stato di perfezione. Restarà per tanto servita V. E. di far pronta efecuzione à comando sì santo di Sua Beatitudine, mentre per fine le bacio umilmente le mani.

Roma 9. Ottobre 1682.

Di V. E.

Umilissimo, e Devotissimo Servitore

A. Card. Fachenetti.

B. Panciaticchi Segretario.

ADNOTATIONES.

TRiplicem spiritum in hujusmodi exercitatione à Deo petere debent ordinandi cum Propheta David, nempe. *Spiritum rectum*, qui dirigat intentionem. *Sanctum*, qui mundet affectionem. *Principalem*, qui firmet operationem: Hic meritò vocatur principalis, quia in eo maximè vita consistit; ex operibus enim, & non ex solis affectibus judicabitur unusquisque.

2. Saluberrimum igitur, atque sanctissimum institutum est illud, si Episcopi, alii vè Ordinarii, ac Superiores modis omnibus opportunis curent, ut hujusmodi Spiritualia Exercitia compleantur. At quia plerumque hi, vel commoditatem, vel curam plenam non habent, perfunctoriè, & nomine tenus, ab Ordinandis explentur absque ullo fructu.

3. Necessarium enim est, ut quisque promovendus corde recogitet: Qua vocatione vocetur ad Statum Ecclesiasticum

Gg 4 cum

cum amplectendum. An inclinationem, capacitatem, & aptitudinem habeat ad illum; qua æstimatione, qua puritate, & sinceritate, ac zelo in partem hæreditatis Christi ingredi festinet. An probè calleat status ejusmodi obligationes? scilicet proximum in rebus fidei exemplo, & verbis instruendi, sobriè, & castè vivendi, ac Divina cuncta attentè, humiliter, & reverenter contrectandi, & exercendi. Qui enim hæc seriò non ponderat, quid agat nescit, & periculo damnationis æternæ se exponit.

4. Cavendum ne introducantur aliqui in Ecclesiam insidiosè, & dolosè; alii per impressionem, & importunitatem; alii per ambitionem, & fictionem hypocriticæ simulationis; alii affectione sanguinis, & cognationis; alii demùm, ut magis commodè, otiosè, & cum majori libertate vivant; nil penitus cogitantes, quod qui spiritum Christi non habet, hic non est ejus, *Paul. ad Rom. cap. 8.* sed quia secundum carnem sunt, quæ carnis sunt solum sapiunt.

5. Ut igitur bonum maximum, quod ex exercitatione spiritus promovendorum oritur, non amittatur, ex proposito piis meditationibus, & Sacrorum Librorum lectura per prudentem Directorem ab Episc. (si per se ipsum nolit) deputandum super his, quæ ad spiritum Ecclesiasticum, sanctitatem gradus, & obligationem ejusdem pertinent, statis diebus, & horis occupentur regulata methodo, prout jam præscripserat piissimus olim Cardinalis Petruccius Episcopus Aësinus in Libro in eadem Civitate edito anno 1683. qui titulus inscribitur -- *Li dieci giorni degli Esercizii*. Atque etiam ea (si magis placeat) quæ in subnexo Rythmico continentur eis familiari sermone unciatim suggerantur.

Christi Rythmicum ad Sacerdotes.

6. Piscatores hominum Sacerdotes Dei
Præcones Altissimi, lucerna diei,
Charitatis radio fulgentes, & spei,
Auribus percipite verba oris mei.

Vos in Sanctuario mihi deservitis,
Vos vocavi palmites ego vera vitis,
Cavete ne steriles, aut inanes sitis,

Si mecum perpetuò vivere velitis.

Vos estis Divinæ legis Protectores,
Sal terræ, lux hominum, Ovium Pastores,
Muri Domus Israël, morum Correctores
Judices Ecclesiæ, gentium Doctores.

Si legis protectio cadat, lex labetur.

Si sal evanuerit, in quo salietur?

Nisi lux appareat, via nescietur.

Et ni Pastor vigilet, Olive frangetur.

Vos cœpistis Vineam meam procurare,
Hanc doctrinæ rivulis debetis irrigare,
Spinas, atque tribulos prorsus extirpare,
Ut radices fidei possint germinare.

Vos estis in Area Boves trituranter,
Prudenter à palea granum separantes,
Vos habent pro speculo legem ignorantes
Populi, qui fragiles sunt, & inconstantes.

Quicquid vident laici vobis displicere
Dicunt proculdubio sibi non licere,
Et quicquid vos in opere vident adimplere
Credunt esse licitum, & culpa carere.

Cum Pastores Ovium sitis constituti
Non estote desides, sicut canes muti,
Vobis non deficient latratus acuti,
Lupus rapax invidet Ovium salutem.

Grex fidelis triplici cibo substinetur,
Meo sacro corpore quo salus augetur,
Sermonis compendio, quod discretè de-
tur,

Ciboque corporeo ne periclitetur.

Ovibus tenemini vestris prædicare
Sed quid, quibus, qualiter, ubi, quan-
do, quare,

Debetis sollicitè præconsiderare,
Ne quis in officio dicat vos errare.

Spectat ad officium vestræ Dignitatis
Omnibus petentibus mea dare gratis,
Nec cujusquam hominum munera pren-
datis,

Ne cum Giezi pariter lepram incurritis.

Gratis Eucharistiam Plebi ministrare,
Gratis & absolvite, gratis baptizate,
Vobis data cœlitus cunctis gratis date,
Ovium salutem sedulò curate.

Vestra conversatio sit religiosa
Munda conscientia vita virtuosa

Regularis habitus, mensque gratiosa,
Nulla vos coinquinet labes criminosa.

Nullus fastus elevet statum vestræ men-
tis,

Gravis in intuitu habitus sit testis,
Nihil vos illaqueet curis inhonestis,

Qui-

Quibus claves traditæ sunt Regni Cœlestis.

Estote breviloqui ne vos ad reatum Pertrahat loquacitas nutrix vanitatum. Verbum, quod loquimini, sit abbreviatum,

Nam in mutiloquio non deest peccatum.

Estote benevoli, sobrii, prudentes, Justi, casti, simplices, pii, patientes, Hospitalis, humiles, subditos docentes, Consolantes miseros, pravos corrigentes.

Nam si sic gesseritis curam pastorem, Verèque vixeritis vitam spiritualem Postquam exueritis clamidem carnalem, Ego vobis conferam stolam immortalis.

7. Monialibus verò ea, quæ in tribus votis solemnibus includuntur, solent in prædicta exercitatione proponi meditanda: Necnon ea quæ Divus Bonaventura in suo pulchro Alphabeto mox referendo Religiosis viris incipientibus affert, videlicet.

Ama paupertatem, sis vilibus contentus

Bonis semper actibus jugiter intentus, Cave multiloquium, studeas filere, Deum omni tempore præoculis habere.

Esuriem amplectere gulam refrenando,

Fratrumque convivia segniter sectando.

Gaudere cum gaudentibus, cum flentibus plorare,

Humilibus consentiens, majores honorare.

In omnibus obediens, Prælatoque parere,

Charitatem insuper cum omnibus tenere,

Lumbos stringe lubricos Domini timore,

Mundans cordis oculum casto cum pudore;

Nihil servans proprium, nudum sequens Christum

Onus leve sufferens, Mundum vincens istum,

Passum Christum recole corde gemebundo

Quærens Dei gloriam nihil aliud in Mundo.

Resistendo vitis, orando ferventer, Sacramentum sumere debes reverenter.

Tu motum mentis comprime iram mitigando,

Vanaque colloquia sollicitè vitando,

Christum frui cupiens, Cellam frequentabis,

Jesum super omnia sic dulciter amabis

Zelo Dei fervens charitatis igne

Et in te peccantibus ignosce benigne.

Lettera Circolare della Sacra Congregazione sopra Vescovi, e Regolari, intorno alla Dottrina Christiana.

S U M M A R I U M.

1 Ignorantia Mysteriorum fidei universalis est, & deplorabilis.

2 Ignorantia scripturarum, ignorantia Christi est.

3 Explicatur, quæ sit Scriptura Sacra, qui sint Libri Scripturarum, Legis Moysi, & Prophetarum, qui novi, & qui veteris Testamenti, & num. 4. 5. & 6.

7 Cur Libri Scripturarum vocentur Testamentum vetus, & novum, ostenditur, & n. 8.

9 Quid contineant isti Libri declaratur.

10 Quotuplex sit sensus Scripturarum explanatur.

11 Cur Historia Vita Jesu Christi dicatur Evangelium, explicatur.

12 Quare Evangelistæ denotentur per figuras hominis, Leonis, Bovis, & Aquilæ, indicatur.

13 Quare Cantica, dicatur Canticum Canticorum, demonstratur.

14 Quare Hæc Canonice sint septem ostenditur.

15 Doctrinæ Christianæ maxima pars est Sacramentorum perceptio, & administratio.

FRà le altre salutevoli provisioni ordinate dalla Paterna sollecitudine della Santità di Nostro Signore per la salute dell'Anime, Sua Beatitudine hà destinata diverse persone pie, per istruire ne' Misterj della nostra Santa Fede le persone, che da i luoghi, e Città circonvicine si portano in Roma, per essere impiegate ne' lavori della Campagna; E perche intende con suo particolar sentimento, che la maggior parte di esse si ritrovano in una somma, e compassionevole ignoranza de' rudimenti della medesima Santa Fede, mi hà espressamente ordinato di scrivere questa lettera circolare à tutti li Vescovi circonvicini, incaricando ad essi di dovere per mezzo de' loro Ministri, e de' Parochi invigilare colla dovuta attenzione alla Cura dell'Anime delle loro Diocesi, cibandole frequentemente col pane della parola di Dio, e spiegando loro i rudimenti, o Misteri della nostra Santa Fede, al quale effetto doveranno espressamente, e sotto gravi, e rigorose pene ordinare alli Parochi delle loro Diocesi, che tutte le Domeniche, & altre Feste di Precetto, insegnino con particolare attenzione la *Dottrina Christiana*, tanto necessaria alla salute dell'Anime. Nel portare à V. S. questi comandi colla premura impostami da Sua Santità, e che richiede la materia, le auguro ogni prosperità.

Roma 22. Giugno 1686.

G. Card. Carpegna Prefetto.

Loco ✠ Sigilli.

G. B. Arcivescovo di Genova Segretario.

ADNOTATIONES.

1. **M**ISTERI DELLA NOSTRA SANTA FEDE.
Cum sanctitas post mortem Christi ubique florere deberet, diluvium peccatorum inundat in Orbe universo, & in ignorantia pellago Misteriorum Fidei corda hominum ad malum prona demersa conspiciuntur. Oh calamitas animarum, oh miser Religionis status, lacrymis Hieremie defendus! Clamat propterea è Cathedra Petrus, ut Pastores non sint desides, sed populum ipsis creditum in lege Domini erudiant, ne in Inferno sicut Oves positi sint; & hoc Episcopis exequendum committitur, cum hi tum per seipso, tum per Parochos, omnes ad salutis portum dirigere teneantur.

2. At quia ignorantia Scripturarum, ignorantia Christi est, ut ait Divus Hieronymus; sumpta hinc occasione non abs re nonnulla per modum interrogationis attingam, in quibus subditi docibiles, &

praesertim Clericis erudiendi erunt.

3. Quid est Scriptura Sacra? Resp. Verbum Dei hominibus revelatum, & per Scriptores ab Ecclesia approbatur litteris consignatum, ad docendum primario Jesum Christum Redemptorem humani generis, & ut homines ex servitute peccati, mortis, ac Diaboli liberati, in eundem Christum credant, & credentes vitam æternam habeant.

4. Quot sunt Libri Scripturarum spectantes ad Legem Veterem, seu Mosaicam? Resp. Plures sunt, & dividuntur in quatuor classes, videlicet. In legales, sunt quinque Libri Moyfi, seu Pentateuchus, Genesis, Exodus, Levitici, Numeri, Deuteronomii. Historiales, scilicet, Josue, Judicum, Ruth, Regum, Paralipomenon, Machabæorum, Job, Esdræ, Tobie, Judith, Ester. Sapientiales, videlicet, Proverbia, Ecclesiastes, Cantica, Ecclesiasticus, Sapientia. Prophetales, nempe Psalmi David, & quatuor Majores Prophetæ, Isaias, Hie-

remias, Ezechiel, Daniel; & duodecim Minores, Osee, Joel, Amos, Micheas, Abdias, Jonas, Nahum, Abacuch, Sophonias, Aggeus, Zacharias, Malachias.

5. Quot sunt Libri Novi Testamenti, & ad Legem Christianam spectantes? *Resp.* Sunt plures, qui pariter dividuntur in quatuor classes, videlicet. Quatuor Libri Evangeliorum Matthæi, Marci, Lucæ, Joannis, legalibus Libris Moyfi correspondentes. Acta Apostolorum, quæ Historialibus. Epistolæ Divi Pauli quatuordecim, una D. Jacobi, duæ D. Petri, tres D. Joannis, & una Judæ Thaddæi, quæ Libri Sapientialibus. Apocalypsis Joannis, quæ Prophetarum Libris correspondet.

6. Quare vocantur Libri Novi Testamenti? *Resp.* Propter novitatem spiritus, quam affert lex Christiana in iis contentam, quæ novos affectus, novosque ardores erga Deum excitare solet in iis, qui illam intelligunt, & amplectuntur.

7. Quare recollectio istorum Librorum vocatur Testamentum Vetus, & Novum; *Resp.* Duplici ratione. Prima, quia quemadmodum Testamentum est carta scripta, in qua declaratur ultima voluntas hominis; sic in illis Libris continetur ultima Dei voluntas, & lex, quam Deus velit ab hominibus servari. Secunda, quia sicuti Testamentum est, quo bonorum defertur hæreditas intercedente Testatoris morte, qua contingente cum esset antea clausum, & obsignatum aperitur: Sic per Libros Sacros defertur Nobis hæreditas cœlestis, & Christi morte in ea confirmamur, iisque apertis legimus Nos esse Dei hæredes, ac cohæredes Christi, si cum illo sustineamus.

8. Quomodo cognoscimus Libros istos esse à Spiritu Sancto? *Resp.* Per testimonium Ecclesiæ, quæ continuata successione ab initio usque ad hæc tempora illos tales recepit.

9. Quid continent isti Libri? *Resp.* Omnia, quæ illis continentur, vel de ipso Christo sunt, vel propter ipsum; Et sic à lectione Veteris Testamenti ad lectionem Novi proceditur tamquam à figura ad suum figuratum, à signo ad signatum, ab

exemplari ad exemplatum, & à parabola da suam veritatem: Nam lex per Moysem data est, gratia, & veritas per Jesum Christum facta est. Jo. 1. Primi quidem de Christi adventu in carne passibili ad patiendum pro redemptione hominum. Secundi de ejusdem adventu in statu impassibili, & glorioso ad judicandum homines loquuntur; Et sic Christus objectum est, in quod collineant omnes Scripturæ.

10. Quotuplex est sensus Sacræ Scripturæ? *Resp.* Quatruplex. Litteralis, quo intelliguntur singula verba, & periodi, ac quid immediatè significant juxta præcepta Grammaticorum. Moralis, quo referuntur ad ædificandum charitatem Dei, & Proximi, ac bene operandum verba ipsa, ac sententiæ Scripturarum. Anagogicus, quo referunt ad spem firmandam æternorum bonorum. Allegoricus, quo referuntur ad significanda Mysteria Christi, & Ecclesiæ, & hic est primarius, & palmaris, quatenus Christum, Ecclesiam designat, quia Christus est finis Scripturarum: Itaut Lector Scripturæ sollicitus esse debet de eo querendo, juxta illud Cantic. 3. Per Vicos, & Plateas quæram, quem diligit anima mea. Per Vicos (idest) per Libros Veteris Testamenti, ac per Plateas (idest) per Libros Novis Testamenti, in quibus sine difficultate invenitur, & deprehenditur.

11. Quare Historia Vitæ Jesu Christi dicitur Evangelium? *Resp.* Quia Evangelium bonum, & lætum Nuncium significat, quale est Sacra Historia, quæ Jesum Christum Salvatorem exhibet, per quem à peccato liberantur homines, & aperto Cœlorum ostio, quod antea per Adami noxam clausum fuerat, ad gaudia æterna introducuntur: quo enim Nuncio quid jucundius?

12. Quare Evangelistæ denotantur per figuras Hominis, Leonis, Bovis, & Aquilæ? *Resp.* Quia Matthæus exorditur ad humanitatem Christi, idè sub Hominis figura representatur. Marcus exorditur à prædicatione Jo: Bapt. in Deferto, quem velut Leonem rugientem, ac peccatores terrentem exhibet, idè Leo illi assignatur. Lucas verò initium duxit sui Evangelii à Sacrificio Zachariæ Sacerdotis, undè ha-

habet pro insigni Bovem, Animal Sacrificio destinatum. At D. Joannes longe altius super ceteros se efferens, cepit à Divinitate dicens, In principio &c. qua propter per Aquilam designatur.

13. Quare Cantica, dicitur Canticum Canticorum? Resp. Hunc Librum Salomonis ita vocari, quia ibi canit Epitalmium idest carmen nuptiale ob conjunctionem spiritualement Christi cum Ecclesia, & dicitur Canticum Canticorum phrasi Hebraica ad demonstrandum esse Canticum excellentissimum inter omnia Cantica, sicuti dicimus Rex Regum, solemnitas solemnitatium.

14. Quare Horæ Canonice sunt septem? Resp. Triplici ratione. Primò, ut agamus Deo gratias pro rebus creatis in septem diebus. Secundò, quia Redemptionis nostræ Mysteria his horis operata fuere: nam media nocte natus est Christus; & hora Matutina resurrexit. Hora prima ductus ad Pilatum. Tertia linguis Judæorum in Crucem actus, flagellis cæsus, & spinis coronatus. Sexta Cruci affixus, & in ea cruciatus pro nobis Patri se obtulit, & expiravit. Vespertina de cruce depositus, & eadem hora cenavit, pedes lavit, Eucharistiam consecit. Ho-

ra Completorii oravit in Horto. Tertio ad septiformem Sancti Spiritus gratiam obtinendam, & quoniam septem fuere partes Orationis Dominicæ à Christo traditæ.

Si circa hæc plura scire cupias, adeas Bail. ad apparat. Summ. Concil. Concilior. in tit. de triplici Verb. Dei, à quo majori in parte, præmissa excerpta sunt. Qui autem hæc, & alia Fidei Mysteria docet, non plus velit sapere, & intelligere, quam oportet: nam sicuti, qui mel multum comedit non est ei bonum; sic qui scrutator est Majestatis opprimetur, à gloria, Prov. 25.

15. LA DOTTRINA CRISTIANA. Doctrinæ Christianæ præcipua pars versatur circa Sacramentorum perceptionem, eorumque rectam administrationem, qua Eidelibus benè dispositis datur, augetur, & conservatur Dei gratia: Ideoque pro Parochorum, & Clericorum instructione, ac laboris in evolvendis Libris levamine, ad erudiendam Plebem, hic subnectitur Tabula, in qua sicuti in speculo, omnia, quæ secundum doctrinam Catholicam, circa eorundem Sacramentorum collationem adhibenda, tenenda, docenda sunt, per stricta conspiciuntur.

Decre-

ia ab Authore descripta.

nis.	Matrimonii .	Extremæ Unct.	
Mate	<p>nis Instrumen- ordinante tra-</p> <p>stus ipfius In- fisco traditi- um diverfita-</p>	<p>Remota . Corpora ipforum contrahentium .</p> <p>Proxima . Traditio mutua eo- rumdem expreffa verbis, feu nu- tibus, per quam quilibet Conjux accipit alterius potestatem in cor- pus ad ufum Matrimonii .</p>	<p>Remota . Oleum olivarum ab Epifcopo benedictum .</p> <p>Proxima . Ipfâ unctio in mo- dum Crucis in quinque fensibus corporis facta: Vel faltem (cafû neceffitatis) in uno collective .</p>
Forn	<p>b Epifcopo ini- m expreffione onfertur, dum nstrumentum .</p>	<p>Mutua acceptatio corporum, qua Conjux recipit in fua pote- state ufum corporis alterius .</p>	<p>Per iftam fanctam Unctionem, & fuam piiffimam mifericor- diam &c., ut in Rit. Româ- no pro diverfitate fensuum, atque membrorum ,</p>

semper ipforum arbitrio, onerata eorundem conscientia, relinquere .
Item

Tabula, sive Schedula Sacramentorum Catholicæ Ecclesiæ ab Authore descripta.

	Baptismi.	Confirmationis.	Eucharistia.	Pœnitentiæ.	Ordinis.	Matrimonii.	Extrema Unct.
Materia.	Remota. Elementaris aqua ad ablutionem sufficiens. Proxima. Ablutio ipsa ex aqua naturali facta.	Remota. Oleum olivarum balsamum inmixtum à consecrato Episcopo benedictum. Proxima. Ipsi Christum unctio in fronte fulcipientis ab Episcopo in figuram Crucis facta.	Remota. Panis triticus cum aqua elementari confectus, coctus, & non frigus, azymus in Ecclesiâ Latina, & fermentatus in Græcâ; & vinum ex uvis expressum. Proxima. Oblatio, seu acceptio ipsius materie ad consecrandum. Accipit Jesus panem, <i>Matth. 26.</i>	Remota. Actuale peccatum post Baptismum, vel in ipsa Baptismi susceptione commissum. Proxima. Actus Pœnitentiæ scilicet contritio, confessio, & satisfactio. Necessaria, mortale; Sufficientis, veniale.	Remota. Ordinis Instrumentum ab Episcopo ordinante tradendum. Proxima. Tactus ipsius Instrumenti ab Episcopo traditi secundum Ordinum diversitatem.	Remota. Corpora ipsorum contrahentium. Proxima. Traditio mutua eorundem expressa verbis, seu nudius, per quam quilibet Coniux accipit alterius potestatem in corpore ad utrumque Matrimonii.	Remota. Oleum olivarum ab Episcopo benedictum. Proxima. Ipsa unctio in modum Crucis in quinque sensibus corporis facta: Vel saltem (causa necessitatis) in uno collectivè.
Forma.	Ecclesiæ Latinæ. Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. Græcæ. Baptizetur Servus Christi in nomine Patris &c.	Signo te signo Crucis, & confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. In hoc enim, & in antecedenti tantum Sacramento invocatio Trinitatis est de essentia.	Corporis. Hoc est corpus meum. Sanguinis. Hic est Calix sanguinis mei; de necessitate Sacramenti. Cætera enim omnia sunt de necessitate præcepti ex communi Sententia.	Ego te absolvo à peccatis tuis, de necessitate Sacramenti: Ex præcepto reliqua, ut in Rituali Romano, quorum ommissio erit venialis, vel mortalis respectu parvitas & gravitatis materie, & causæ omissionis.	Verba prolata ab Episcopo imperativo modo, cum expressione potestatis, quæ confertur, dum porrigit Ordinis Instrumentum.	Mutua acceptio corporum, qua Coniux recipit in sua potestate utrumque corporis alterius.	Per istam sanctam Unctionem, & suam piissimam misericordiam &c., ut in Rit. Romano pro diversitate sentium, atque membrorum,
Minister.	Ex officio Episcopus in propria Dioecesi, & Parochus in propria Parochia, & de eorum licentiâ quilibet Sacerdos. In necessitate omnis homo habens usum rationis, dummodo loqui, & lavare possit; ex speciali Divina dispensatione Angelus, & Anima separata.	Ex officio solus Episcopus in propria Dioecesi, de licentiâ propria etiam in aliena: Et ex commissione Papæ quilibet Sacerdos etiam simplex potest ministrare, non tamen consecrare, secundum veterem Sententiam.	Consecrationis, omnis Sacerdos: Collationis, seu administrationis, ille cui ex officio, vel delegatione, aut privilegio incumbit: Et etiam Diaconus in necessitate, ob Sacerdotum raram copiam, hoc non est in usu.	Sacerdos habens jurisdictionis potestatem ordinariam, vel delegatam, non impeditur. Et in necessitate omnis Sacerdos à quilibet peccatis, & censuris; nunquam tamen Laicus.	Proprius Episcopus, seu alius de eius licentiâ, & Abbas respectu suorum Subditorum, & quoad minores Ordines tantum, quos ex Summi Pontificis commissione simplex Sacerdos potest conferre.	Contrahentes ipsi tum antequam post Concil. Tridentinum, & si in mortali contrahunt, semel tantum mortaliter peccant ratione susceptionis; cum enim non sint Ministri consecrati, ideoque Ministri non peccant, sed ut susceperes.	Sacerdos Curatus, vel alius de eius licentiâ, vel sub rathabituone, & in casu necessitatis quilibet Sacerdos etiam Regularis, qui si extra necessitatem, & absque licentiâ ministrat, incidit in excommunicationem.
Susceptor.	Quilibet homo natus cuiusvis ætatis, & conditionis, & non natus, si in aliqua parte corporis ablu possit. In adultis requiritur consensus.	Omnis homo baptizatus sine ulla ætatis, sexus, aut status distinctione. Excedit tamen regulariter non dare ante septennium.	Homo Christianus post annos discretionis sine mortali. Jejuniis jejuniis naturalibus. In Pœnitentiâ ex præcepto Ecclesiæ: Ex præcepto autem Divino aliquoties in vita, & in articulo mortis, <i>Joh. 6. Ad. 2. 42.</i>	Homo Fidelis post usum rationis habens peccata. Semel in anno ex præcepto Ecclesiæ; & in Pœnitentiâ propter Communionem, quando habet conscientiam mortiferæ culpæ. Ex præcepto Divino quoties imminet periculum vite.	Validè. Quilibet homo masculinus baptizatus, post usum rationis. Licitè. Confirmatus, in debita ætate constitutus, nullo Canonico impedimento detentus.	Ut Sacramentum: Homo Fidelis in debita ætate constitutus, nullo impedimento legitimo impeditus. Matrimonium vero, ut contractus, etiam inter infideles datur.	Homo Viator baptizatus, qui rationis usum adeptus sit, & propter morbum de vita periclitetur. Si postea in amentiam, vel phrenesim lapsus, non privatur, si Christiane vixit, vel antea peccavit, nec comitat de eius contraria mente. Nunquam verò sanus.
Effectus.	Delet originale peccatum in parvulis, & in adultis etiam actuale, si dolent. Totam remittit penam, Characterem imprimunt; Gratiam infundit; Fomitentem retrahit; Cognationem causat spirituales; alii que Sacramentis janua aperit.	Characterem imprimunt; augmentum gratiæ confert; hominem fortiore ad Christum continentem reddit, & spirituales parit cognationem, sicut Baptizatus.	Gratiæ augmentum confert, & aliquando etiam primam gratiam. Oblita mortalia delet, venialia remittit, fomitentem moderatur, à mortali præservat, bonos affectus excitat, devotionem auget, ac vitam æternam tribuit.	Primarius. Remissio peccatorum quantum ad culpam. Secundarius. Remissio eorumdem quoque penam æternam, & aliquando etiam temporalem, & gratiæ restitutio omnia.	Gratiæ augmentum tribuit, characterem imprimunt, & speciales auxilium dat ad sanctè, & religiosè exercendas sacras actiones ad Dei cultum spectantes.	Gratiæ augmentum donat, thori fidem servat, prolem Deo generat, & Sacramentum, id est bonorum conjunctionem efficit. Bona enim Matrimonii sunt tria: Fides, Proles, & Sacramentum.	Juvat, & confortat ægrotantia animam, præparat animam ad gloriam, peccata delet, gratiæ augmentum confert, & infirmum, si expedit, alleviat.
Institutio.	Initiatiivè à Christo Domino quando baptizatus fuit à Joanne. Præceptivè quando dixit Apollolis: Ite in universum Mundum &c. baptizantes &c. <i>Matth. 28.</i>	Initiatiivè in ultima Domini Cœna. Completivè in die Pentecostes. <i>Luc. 24. 49.</i> Præceptivè cum misit Apollolis, <i>Joh. 20. Prædic. Ad. Apost. 8. 17.</i>	In suprema nocte Cœnæ. Præceptivè quam pareretur Dominus nosse Jesus Christus, qui est solus efficiens Sacramentorum causa, ut Deus, meritoria verò, ut homo.	Inchoativè in ultima Cœna. Præceptivè, & completivè, <i>Joh. 20. Accipite spiritum sanctum, quoniam remittitur peccata, remittuntur eis &c.</i>	Quantum ad potestatem super Corpus Christi verum in ultima Cœna: Hoc facite in meam commemorationem. Quantum verò ad potestatem super mysticum ipsius Corpus, id est super Fideles, <i>Joh. 20. Sicut misit me Pater, & ego mitto vos, Tim. 2. 1. 6.</i>	In Paradiso Terrestri, ut officium nature: Post lapsum, in libidinis remedium: Ut Sacramentum verò, <i>Matth. 14. Quod Deus conjunctus, homo non separatur.</i>	Infirmatum quando Dominus invisit Sacrum Petri, <i>Matth. 8. 15.</i> Initiativè quando misit Discipulos, ut curarent Infirmos oleo, <i>Matth. 6. 13.</i> Promulgatum verò à D. Jacob. <i>cap. 5. Iuxta epistolæ Catholicæ.</i>
Definitio.	Ablutio corporis aqua naturali facta sub præscripta verborum formula ad regenerationem spiritualem.	Consecratio facta ab Episcopo cum Chrismate in fronte baptizati sub certa verborum forma ad robur fidei consequendum.	Sacramentum Corporis, & Sanguinis Christi sub speciebus panis, & vini, post consecrationem veraciter contenti.	Sacramentum consistens in actibus Pœnitentiæ, & absolventis, à Christo institutum per modum Judicii emendativi ad remissionem peccatorum.	Signaculum quoddam Ecclesiæ, quo spiritalis potestas confertur ordinato.	Viri, & Mulieris legitima conjunctio individuum vitæ consuetudinem retinens.	Sacramentum ex sacra Olei unctio, & Sacerdotis prece confectum, ad salutem animæ, & corporis hominis ægrotantis institutione divina ordinatum.

Ad Formularium Legale Præcticum Fori Ecclesiastici ad Pag. 476.

Baptisimus Confirmationis

... Baptisimus Confirmationis ...

... Confirmationis ...

... Confirmationis ...

... Confirmationis ...

... Confirmationis ...

Decre-

Decretum Congregationis ab Innoc. XII. deputatae super
moderatione Indultorum extra tempora.

Sanctissimus D.N. Innocentius Papa XII. pro Pastoralis suo in commissum sibi Gregem Dominicum zelo, ac tuenda disciplinae Ecclesiasticae studio prospicere volens, ne Indulta suscipiendi extra tempora à jure statuta Ordines, nimis facile concedantur, Congregationi particulari Eminentiss. Dom. Cardinalium Carpinei, Casanatis, Marefcotti, Colloredi, Panciatichi, & Albani, necnon Illustriss. DD. Sperelli, Ciampini, Sacripantes, meique Secretarii infra scripti specialiter deputatae expendendas commisit causas, ex quibus praefata Indulta tribui solent, &c.

Quae quidem Congregatio die decima Novembris, atque iterum 7. Decemb. anni currentis habita, re mature discussa, censuit Indulta hujusmodi, si Sanctissimo placuerit, concedi posse ex causis infra scriptis, videlicet.

Ut quis Beneficio, vi cuius ardeatur ad Presbyteralem Ordinem suscipiendum, vel alteri etiam perpetuo Beneficio, quod obtinet, vel Cappellaniae ad vitam sibi concessae per se ipsum inservire possit. Ob penuriam Sacerdotum in illis partibus, vel in Monasterio pro Regularibus. Ob solatium Patris, vel Matris, dummodò quinquaginta aetatis annos excedant, & Orator saltem per triennium in Clericali habitu honestè, & laudabiter vixerit. Item concedi posse censuit eadem Indulta Referendariis Utriusque Signaturae, Familiaribus Summi Pontificis, Canonicis Cathedralis, vel etiam Collegatae Ecclesiae, eorumque Coadjutoribus, Magistris, seu etiam Baccalaureis in Sacra Theologia, Doctoribus Utriusque, vel saltem Canonici Juris, seu Licentiatibus, dummodò singulos praefatos gradus in publica, & approbata Universitate obtinuerint; Iis etiam, qui saltem per triennium sedulam Theologiae studiis operam navaverint, ac tandem vigesimum sextum aetatis annum excedentibus per triennium in Clericali habitu honestè, & laudabiliter vixerint.

Et contra censuit non expedire, ut eadem Indulta concedantur ex eo, quod quis Diaconus, Subdiaconus, litterarum Apostolicarum Scriptor sit, seu Magister in Artibus, Nobilis, aut praesens in Curia, vel quod Philosophiae cursum absolverit, aut alicui Ecclesiae adscriptus fuerit, ad cuius servitium titulum ex Apostolico Indulto Clerici ordinari possunt, aut onus Missarum, non tamen ex Beneficio Ecclesiastico proveniens habere se doceat.

Insuper censuit Indulta hujusmodi deneganda esse iis, qui aliqua dispensatione indigens impedimenti ex eorum delicto provenientis, & Sede Episcopali vacante infra annum à die vacationis minime danda iis, qui Beneficii Ecclesiastici recepti, seu recipiendi occasione ardeati non fuerint.

Item nunquam concedenda pro festivis diebus continuis, sed semper pro interpolatis aliquo temporis spatio arbitrio Episcopi definiendo.

Denique censuit Episcopos omnes, ac etiam Apostolicos Nuncios, & Legatos litteris in forma Brevis circularibus admonendos, decrevisse Sanctitatem Suam Indulta praedicta, non ita passim, sed ex certis tantum legitimisque causis concedere, nec Episcopos ad eorum executionem astringere, sed illam semper ipsorum arbitrio, onerata eorumdem conscientia, relinquere.

Item

Item per eadem Indulta licentiam non tribui promovendi quempiam ad Patrimonii titulum, nisi ad normam Concilii Tridentini sess. 21. cap. 2. Eos verò omnes, qui ab Apostolica Sede facultates obtinent conferendi Ordines extratempora, vel aliis respectivè tribuendi licentiam, ut conferant, maxime cavere debere, ne præscriptos sibi in iisdem facultatibus limites, cujusvis consuetudinis, aut exempli prætextu transgrediantur.

Hæc autem omnia, & singula suprascripta Decreta, audita ex me integra eorum relatione, Sanctis D.N. laudavit, & approbavit, ac tam in Dataria, & Secretaria Brevium, quam à cæteris omnibus Ministris, & Officialibus Curia, ad quos pertinet, perpetuò, & inviolabiliter servari mandavit, sublata omnibus quacumque facultate prædicta Indulta aliter, quam ad formam eorundem Decretorum in posterum expediendi.

Hæc die 14. Decembris 1693.

Carolus Augustinus Fabronius Secret.

Ad Decretum de Ejectis, & Ejiciendis Congreg. Deputatæ ab Innoc. XII.

S U M M A R I U M.

1. Regulares recurrentes recto tramite ad Urbem à gravaminibus Superiorum sine eorum licentia non incurruni pœnas Apostasie: Si autem levi ex causa, & temerè hoc facerent, ad Superiorem remittuntur puniendi.
2. Regulares, qui Monasteria relinquunt prætextu dicendi de nullitate professionis, non audiuntur nisi redeant ad Clausura.
3. Fallit regula in verè Apostatis, quibus ut redeant ad bonam frugem conceditur gratia transeundi ad aliam Religionem.

4. Religiosi professi non possunt à Religione ejici sub prætextu, quod laborent morbo incurabili, relicto tempore professionis, nisi adsit statutum speciale à Papa confirmatum.
5. Statutum hujusmodi non suffragatur, si morbus incurabilis superveniat post professionem.
6. Presbyteri sæculares Congregationis Doctrinae Christianæ Urbis post votum emissum perseverantia non possunt Congregationem relinquere absque dispensatione Apostolica.
7. Presbyteri sæculares Congregationis Oratorii, non possunt ab Episcopo à Congregatione extrahi, neque ab observatione instituti removeri, & exturbari.
8. Perpetuò oblatis non possunt à Religione recedere, & n. 9.

Instantibus Procuratoribus Generalibus Religiosorum Ordinum pro moderatione Decretorum de Apostatis, & Ejectis editorum à Sac. Congreg. Concilii, & à san. mem. Urbano Papa VIII. anno 1624. confirmatorum, ut facilius modis incorrigibiles ejiciendi præscribatur, Sac. Congreg. à Sanctissimo D. N. Innoc. Papa XII. super præmissis particulariter deputata, Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium Carpinei, Casanate, Mariscotti, de Norfolkia, de Laurea, de Aguirre, & Colloredi, perpenfis eorundem Procuratorum Generalium votis, ne consortio morbidarum pecudum cæteræ corrumpantur, & remedia hucusque ad sanitatem oblata male affectis officiant magis, quam profint, maturo examine, zelo Regularis disciplinae conservandæ, censuit, statuit, & auctoritate ejusdem Sanctissimi D. N. sibi specialiter attributa, hæc in posterum servanda decrevit.

1. Quod

1. Quod firmis, ac in suo robore semper manentibus prædictis Decretis de Apostatis, etiam secundum eam partem ubi agitur de Ejectis, & Ejiciendis, tamquam Sac. Canonibus, & communi SS. Patrum menti conformibus, quoad Ejectos eadem servantur, quæ in alio simili Decreto hac præsentis die emanato de Apostatis, & fugitivis statuta sunt, & Indulta; quodque ad præscriptam legem sa. me. Greg. IX. in cap. fin. de Regul. annuatim fugitivi requirantur, & respectivè cogantur ad Claustra reverti.
2. Quod annus integer, qui in prædictis Decretis anni 1624. præscribitur in penitentia, & jejunio ad ejiciendos incorrigibiles, ad sex tantum menses continuos in posterum coarctetur, & restringatur.
3. Quod facultas Generalibus Ordinibus de consilio, & assensu sex ex gravioribus Religiosis in singulis Capitulis, & Congregationibus Generalibus ad Causas Ejiciendorum eligendis, attributa, extendatur etiam ad quoscunque Provinciales, qui electis pariter in Congregationibus Provincialibus sex gravibus ex propria Provincia Religiosis à Generali confirmandis, de illorum consilio, & assensu, causas hujusmodi cognoscant, & ad effectum ejiciendi incorrigibiles suæ Provinciæ, & dictionem pronuntiandi, accedente approbatione Generalis, definiant, salva semper Sanctæ Sedis, & Sac. Congregat. Concilii, in casu recursus, & appellationis auctoritate.
4. Quod in posterum Processus conficiantur juxta regulas, Constitutiones, Ordinationes, & stylum cujusque Ordinis, & Religionis, donec fuerit à Sac. Congreg. provisum.
5. At quia nimia sine delectu facilitas recipiendi quoscunque Religionis ingressum petentes, & à Religione forsitan alienos, duram satis tractu temporis necessitatem parit eosdem è Claustis ejiciendi, ne hujusmodi semina, quæ à principio ad fructum faciendum cadunt in terram bonam, paulatim contaminata inordinatis moribus usque ad incorrigibilitatem succrescant in paleas, eadem Sac. Congregatio, annuente Sanctis. D. N. sub interminatione Divini judicii, nec non privationis vocis activæ, & passivæ, ac Dignitatum, & officiorum obtentorum, cum inhabilitate ad eadem in posterum obtinenda, quibuscunque prædictorum Ordinum Superioribus districtè præcipit, & mandat, omnia, & singula Decreta san. mem. Clem. VIII. registrata post Decretum san. mem. Urbani VIII. de Apostatis, & ejectis incipien. *Regularis, Sanctissimus, & Nullus*, unà cum aliis subsequentiibus Decretis, provisionibus, ordinationibus, & respectivè moderationibus, bis in anno legi, eadem ad unguem servari, pœnas in eisdem contentas innovari, & Capitibus Ordinum intimari, ne hujusmodi Decretorum transgressores, qui in lege gloriantur, per prævaricationem legis Deum inhonorent, & ne militiæ Christi adscripti tam de facili fiant desertores, ac profugi.

Datum Romæ die 24. Julii 1694.

G. Card. Mariscottus Propæfectus.

Loco * Sigilli.

R. Pallavicinus Sac. Congr. Conc. Secr.

(Et sequitur publicatio dicti Decreti.)

A D.

ADNOTATIONES.

I DE APOSTATIS. Regulares recurrentes recto tramite ad Urbem à gravaminibus suorum Superiorum, non incurrent poenas Apostasiæ, ex quo discesserint sine eorum Superiorum obedientia, dummodo non vagent, & se præsentent R. P. D. Secretario Sac. Congregationis, nec ideo molestandi sunt, ut advertit Nicol. Lucubr. can. lib. 3. tit. 31. de Regular. post n. 43. ubi plura Sac. Congregat. Decreta refert, & nuper decusum fuit ab eadem Sac. Congreg. in Valentina Lectoratus 6. & 27. Junii 1698. referente clar. mem. Card. Petruccio. Si tamen temerè, leviq; ex causa Urbem pererent, seu Curiam absque sui Superioris licentia, ad eundem Superiorem remittendi essent plectendi, juxta Decretum Sac. Congreg. Episcop. & Regular. per extensum relatum à Fagnan. in cap. de Priore num. 38. de appellat.

2. Hi autem Regulares, qui è Claustis egrediuntur, & Monasteria relinquunt (retento, vel dimisso habitu) prætextu nullitatis professionis, non audiuntur (quamvis ad Urbem accedant) super eadem prætexta nullitate ex quacunque causa, nisi prius redeant ad Claustra, juxta dispositionem Concilii Trident. sess. 25. cap. 19. de Regular. ut sæpè sæpius respondit Sac. Congr. Concilii, & recentè in Bononien. 4. Junii 1689. Claramonten. 29. Novemb. 1692. & in Giennen. 9. Aprilis 1701. etiamsi egressi vellent transire ad aliam Religionem, ut declaravit Sac. Congr. Episcop. in Provincia Beticæ 30. Aprilis 1700. & plenè tradit Don. prax. rer. Regular. tom. 2. tr. 12. quæst. 11. immò & si tanquam incorrigibiles servata forma Const. Apostolicarum fuissent ejecti, Sac. Congr. Concilii in Papien. 15. Martii 1692.

3. Fallit tamen non semel hæc regula in Regularibus verè Apostatis, & diu extra Claustra dimisso habitu more sæcularium in terris Hæreticorum vagantibus: quibus ut ad Religionem, & in sinum piæ Matris Ecclesiæ (ut sæpè cupiunt) redire alliciantur, solet Sac. Pœnitentiaria Urbis (cui ad hunc effectum preces porrigun-

tur) facto verbo cum Santissimo rescripto indulgere, ut invento benevolo Receptore (si ad propriam remeare formident) ad quancunque aliam Religionem, & aliquando (at rarò) etiam non Claustralem transire valeant, ut bis, terque obtentum vidi, ad terminos indulti generalis Innoc. XII. de anno 1694. emanati.

4. Item Religiosi professi non possunt ejici à Religione prætextu, quod ante illorum receptionem occultè laborarent morbo gallico, lepra, vel alia luent contagiosa, quam tacuerint: quia de jure communi nulla est ægritudo etiam morbifera, quæ annihilat professionem, & probat Donat. de Regular. tom. 4. par. 1. tract. 3. de qualit. recipiend. quæst. 25. num. 6. seqq. & quod proinde horum ejectiones sint nullæ, declaravit nuper Sac. Congr. Concilii in Siracusana Ejectionis 1. Septembr. & in Cameracen. Ejectionis 22. Decembr. 1691. Nisi tamen adesset speciale statutum Religionis à Papa confirmatum, quod asserunt habere Capuccini, Passer. de stat. hom. tom. 3. quæst. 189. art. 10. insp. 4. n. 155. & trib. seq.

5. Verùm nec tale privilegium suffragaretur, si post professionem emissam unam, vel alteram ex infirmitatibus per statutum expressis, & exceptis incurrerent: quia tunc nec Religiosus ita infirmus posset è Claustris egredi, nec Religio illum dimittere, ut respondit Sac. Congr. Episcop. in una Capuccinorum 5. Septembr. 1692. pro Fr. Secundo à S. Damiano, qui cum diu profugus à Religione vagasset, & declarari se non teneri ad Religionem redire, neque Religionem illum recipere (ex quo morbo gallico incurabili laboraret) petiisset, sub dicta die prodit rescriptum: teneri redire, & Superiores teneri recipere.

6. Item Presbyteri Congregationis sæcularis Clericorum Doctrinæ Christianæ, cum simplici perseverantiæ proposito in Urbe institutæ, & à Paulo V. confirmatæ: si votum perseverantiæ (quod ad præscriptum Constitutionum est eis liberum, & arbitrarium) emiserint, non possunt amplius absque dispensatione Apostolica à dicta Congregatione egredi, neque dimitti, ut declaravit Sac.

Sacr. Cong. Conc. in Romana voti perseverantiae 29. Jan. 1701.

7. Item Presbyteri Congregationis Oratorii S. Philippi Nerii, licet iustitiam ordinariae jurisdictioni Episcoporum; non possunt tamen hi, sub quovis praetextu, aut quæsito colore illorum personas à Congregatione, in quam ingressi, & admissi reperiuntur, extrahere, nec ab observatione sui instituti removere, & exturbare, prout speciali Indulto sub datum 8. Julii 1622. Gregor. XV. inhibuit his verbis -- Quocirca universis, & singulis locorum Ordinariis, ne ullam dictae Congregationis Domum nisi juxta statutorum praedictorum formam, & tenorem, nec aliter nec alio modo visitare, minusve quovis casu pro tempore contingente, ac sub quovis praetextu, aut quæsito colore aliquam ipsius Congregationis personam è dicta Congregatione extrahere, aut ab observatione sui instituti removere audeant, seu praesumant, auctoritate, & tenore praedictis interdiximus, & prohibemus.

8. Item Oblati, qui se suaque omnia perpetuo, & irrevocabiliter obtulerint Monasterio mediante publico contractu, & juramento, ac obedientiam Monachalem promiserint, non possunt à Religione recedere absque dispensatione Apostolica, quia hujusmodi oblatio, & promissio est species professionis, Abb. in cap. quod à te num. 5. de Cleric. conjug. ibi. -- Quando quid intravit Religionem, & non fecit professionem, quia fuit Oblatus, dando se, & sua plenè Monasterio, & iste amplius non revocatur, est enim quasi servus Monasterii.

Felin. in cap. in praesentia nu. 4. de probat. ibi. -- Oblati verò aliquando portant habitum, aliquando non, vel differentem, & possunt recedere, nisi sunt perpetuo Oblati, quo casu equiparantur aliis professis.

Innoc. in cap. consuluit, qui Cleric. vel vocent. ibi. -- Nisi obedientiam Monachalem promiserint, puta quia omni sua velun-

tati renunciarent, & omnia committerent voluntati Abbatis, quia tunc talis obedientia pro professione sufficeret.

9. Nec dicatur auctoritates praedictas procedere juxta terminos, & dispositionem juris communis antiqui: quia quoad Oblatos Concil. Trid. nihil innovavit: & cum Canonistis mox laudatis tenet modernus Donat. prax. rer. Regular. tot. 2. tract. 13. de oblat. quæst. 21. num. 4. & 5. ibi -- Oblati sunt viri Religiosi saltem largè, cum se, suaque omnia perpetuo, & irrevocabiliter obtulerint Monasterio medio publico contractu, & juramento, quo fit ut hi sint magis adstricti Monasterio, quam alii per solemnem professionem, & hanc sententiam secuta est Sac. Congreg. Episc. in Brixien. 31. Januarii 1698. referente clar. mem. Card. Petruccio, & hinc oritur, quod percutientes, vulnerantes, vel occidentes eosdem Oblatos incurrant in excommunicationem contentam in cap. si quis suadente 29. 17. qu. 4. dummodo habitum gestent, Sac. Congreg. Conc. in Anglonen. 8. Julii 1690.

Innocentii XII. Constitut.
X L I V.

Qua plura declarantur, ac praescribuntur pro tollendis abusibus circa Ordinum collationem.

S U M M A R I U M.

1. Onera Missarum Beneficio injuncta in calculandis redditibus non detrahuntur.
2. Quae sint onera detrahenda, ostenditur.

INNOCENTIUS EPISCOPUS &c.

Speculatores Domus Israel &c.

Sane hoc inuito consilio, non alios quantum fieri potest, quam qui in sanctitate, & iustitia per ordinatissimos Ecclesiasticæ militiæ gradus statis intervallis ambulaverint, ac pie, & fideliter in Ministeriis antea actis se gesserint, ad Sacerdotium assumi, Sacrasq; Ordinationes juxta priscum Ecclesiæ morem, præscriptis à jure temporibus, orationi, & jejunio consecratis, haberi cupientes, severiorem quamdam in concedendis indultis suscipiendi Sac. Ord. extra tempora hujusmodi, & interstitiis ad id designatis minimè servatis, ultro nobis proposuimus adhibendam rationem, qua videlicet servata, ante meritum laboris, ante tempus examinis, ante experientiam disciplinæ, Sacerdotalis honor non probatis minimè tribuatur, nec unquam heri sacrilegi, hodie Sacerdotes, heri prophani, hodie Sacrorum Antifites, veteres vitio, virtute rudes, & recentis, discipuli simul, ac Magistri pietatis creentur; sed ii tantum, juxta constitutas à Majoribus Leges, ab humili gradu fidelis populi, ad sacrarum administrationum sublimitatem promoveantur, qui post mutatum habitum sæcularem, diuturna conversatione inter Clericos fuerint comprobati, ac multo tempore didicerunt, quæ postmodum alios docere tenentur; cæterum per ea ipsa indulta, quæ super præmissis parcius quidem, ac ex certis tantum, & magis rationabilibus causis concedere decrevimus, contraria quavis illorum interpretatione penitus improbata, salutarem illam quam Sac. Generalis Trid. Conc. decreto de non ordinandis ad patrimonii titulum, nisi illis, quos Episcopi pro necessitate, vel commoditate suarum Ecclesiarum assumendos judicaverint, præscribunt disciplinam, nequaquam relaxatam intelligi; quinimo nec unquam ad indulta hujusmodi exequenda Episcopos ipsos attingere, sed illorum executionem arbitrio semper eorundem Episcoporum, quorum conscientias hac in re strictissimè oneratas volumus, prorsus relinquere declaravimus; sperantes in Domino eos, qui juxta Apostoli monitum, nemini citò manus imponendas esse probè norunt, sibi, & universo gregi attendentes, in quo eos posuit Spir. S. regere Ecclesiam Dei, reverenda ipsis Spiritibus Angelicis ministeria ab hominibus sine consideratione apprehendi nunquam permissuros, nec temerè præripi passuros, quæ vita probata dumtaxat accipere promeretur. Omnes insuper, & singulos cujuscumque tandem gradus, & ordinis, & dignitatis fuerint, quibus ex hujus S. Sedis gratia Sacros Ordines præfatos extra eadem tempora conferendi, vel aliis, ut illos sic conferre valeant, indulgendi potestas fieri consuevit, cum Divinos Ordines largiri districti semper esse judicii oporteat, ferè monitos volumus, ut præscriptos sibi desuper in suis quique facultatibus terminos religiosè custodiant, nec eos cujusvis consuetudinis, aut exempli prætextu nullatenus transgrediantur.

Verùm quo impensius Apostolicæ gubernationis curam, & cogitationes in hac interdiximus, eo majori cum animi nostri dolore, ex quamplurium Vener. Fratrorum Archiepiscoporum, & Episcoporum in diversis regionibus existentium delatis ad nos querelis accepimus, graviora quotidie malignari inimicum in Sancto, sacrilega scilicet illorum impudentia in dies crescente, qui propriæ salutis immemores, Clericales Ord. sibi forsàn à propriis præsulibus denegatos, seu quos aliquibus Canonicis sibi obstantibus impedimentis, denegari meritò verentur, ab alie-

alienis Episcopis non quæ Jesu Christi, sed eas, quæ ad ipsos non pertinent oves, in animarum suarum perniciem quærentibus, nec tot canonicas damnationes contra usurpantes alienæ plebis homines latas perhorrescentibus, absq; suorum Prælatorum comæatu, hoc est dimissoriis, commendatitiisve eorum literis defuituti, quinimmo eis insciis, & sæpè etiam invitis, sub minus legitimis Beneficii Ecclesiastici, originis, domicilii, seu etiam familiaritatis ac continuè Ordinantium Episcoporum commensalitatibus questis titulis, in sacrarum legum fraudem, & contemptum, illegitimè suscipiunt, atq; ita non intrantes per ostium, & nihilominus tabernaculum Domini cum macula inhabitare non dubitantes, sacrificium in sacrilegium convertunt, iudicium absq; misericordia sibi consciscunt, Deo que minimè placentes, & tamen placare velle presumentes, non modò eum non placant, sed magis irritant, dum videntur in cordibus suis dicere: non requiret.

Hinc est, quod nos ex commissio nobis divinitus Apostolicæ servitutis munere, abusus, fraudes, ac scandala hujusmodi penitus, & omnino è medio tollere, ac irreligiosam contrafacientium audaciam, quantum nobis ex alto conceditur, compescere, & reprimere volentes, nec non fel. rec. Urbani VIII. contra malè ordinantes, & malè ordinatos, quæ incipit: *Secretis*: aliorumq; Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum, ac etiam conciliaribus hac in re editis Constitutionibus, & ordinationibus inhærentes, aliasq; quoad ea, quæ præsentibus non adversantur, quatenus opus sit, innovantes: de Venerabilium Fr. nostrorum S. R. E. Card. ejusdem Conc. Trid. interpretum, qui quæcunque antehac super præmissis ab ipsorum Cardinalium Congregatione in particularibus casibus edita decreta, declarationes, seu responsa ad earundem præsentium limites reducenda esse censuerunt, consilio, ac etiam motu proprio, & ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, ad Omnipotentis Dei gloriam, Ecclesiæ utilitatem, veteris disciplinæ instaurationem, totiusque Christiani populi ædificationem, hac generali nostra, & perpetuò valitura constitutione decernimus, & declaramus nulli Episcopo, seu cujusvis loci Ordinario, tametsi Cardinalatus honore fulgeat, licere exterum quempiam, ac sibi ratione originis, seu domicilii, juxta modum inferius declarandum, legitimè contracti non subditum, ad Clericalem Tonsuram promovere cujusvis beneficii Ecclesiastici, ei statim, ac Tonsura hujusmodi insignitus fuerit, conferendi, seu ad quod is à patronis jam præsentatus, seu nominatus fuerit prætextu, etiam si beneficium prædictum de novo ea expressè adjecta lege fundatum fuisse constiterit, ut quis immediatè post Clericalem characterem susceptum, ad illud instituatur. Præterea Clericum, qui legitimè jam à proprio Episcopo ad eandem Clericalem Tonsuram, seu etiam ad Minores Ordines promotus fuerit, non posse ab alio Episcopo ratione, ac titulo cujuscumque beneficii in illius Diœcesi obtenti, ad ulteriores Ordines promoveri, nisi ante eorumdem susceptionem testimoniales literas proprii Episcopi, tam Originis, quàm Domicilii, super suis natalibus, ætate, moribus, & vita sibi concedi obtinuerit, easque Episcopo Ordinanti in actis illius Curie conservandas exhibuerit.

Licet verò Clericus ratione cujusvis Beneficii in aliena Diœcesi obtenti, subijci dicatur jurisdictioni illius Episcopi, in cujus Diœcesi beneficium hujusmodi situm est, eam tamen de cætero hac in re inconcussè servari volumus regulam, ut nemo ejusmodi subjectionem ad effectum suscipiendi Ordines acqui-

rere censeatur, nisi beneficium prædictum ejus sit redditus, ut ad congruam vitæ sustentationem, sive juxta taxam Synodalem, sive ea deficiente, juxta morem regionis pro promovendis ad Sacros Ordines, *detractis oneribus*, per se sufficiat, illudque ab Ordinando pacificè possideatur, sublata quacumque facultate supplendi, quod deficeret fructibus ejusdem Beneficii cum adjectione patrimonii etiam pinguis, quod ipse Ordinandus in eadem, seu alia quavis Diœcesi obtineret; ac Episcopus sic Ordinans, tam de prædictis testimonialibus literis, quàm de redditu Beneficii hujusmodi, expressam in consueta collatorum Ordinum attestatione mentionem facere debet.

Cæterum subditus ratione originis tantum sit, ac esse intelligatur, qui naturaliter ortus est in ea Diœcesi, in qua ad Ordines promoveri desiderat, dummodo tamen ibi natus non fuerit ex accidenti, occasione nimirum itineris, officii, legationis, vel cujusvis alterius temporalis moræ, seu permanentiæ ejus patris in illo loco, quo casu nullatenus ejusmodi fortuita natiuitas, sed vera tantum, & naturalis patris origo erit attendenda. Quod si quis tanto temporis spatio, in eo loco, in quo ex accidenti, sicut præmittitur, natus est, moram traxerit, ut potuerit ibidem Canonico aliquo impedimento irretiri, tunc etiam ab Ordinario ejus loci literas testimoniales, ut supra, obtinere, illasque Episcopo Ordinanti per eum in collatorum Ordinum testimonio similiter recensendas presentare teneatur.

At si pater in alieno loco, ubi ejus filius natus est, tandem ac eo animo permanserit, ut inibi verè domicilium de jure contraxerit, tunc non origo patris, sed domicilium per patrem legitime, ut præfertur, contractum pro ordinatione ejusdem filii attendi debeat.

Subditus autem ratione domicilii, ad effectum suscipiendi Ordines is duntaxat censeatur, qui, licet alibi natus fuerit, illud tamen adeo stabiliter constituerit in aliquo loco, ut vel per decennium saltem in eo habitando, vel majorem rerum, ac bonorum suorum partem cum instructis edibus in locum hujusmodi transferendo, atque ibidem per aliquod considerabile tempus commorando, satis superque suum perpetuè ibidem permanendi animum demonstraverit, & nihilominus ulterius in utroque casu, se verè, & realiter animum hujusmodi habere jurejurando affirmit. Si quis autem à propriæ originis loco in ea ætate discesserit, qua potuerit alicui Canonico impedimento obnoxius effici, etiam Ordinarii suæ originis testimoniales literas, ut supra, afferre debet, ac de illis expressa similiter mentio in susceptorum Ordinum literis facienda erit.

Ad hæc nullus Episcopus aliene Diœcesis subditum familiarem suum ad aliquos, Sacros, seu Minores Ordines, vel etiam primam Tonsuram promovere, seu ordinare præsumat, absque ejus proprii, originis scilicet, seu domicilii Prælati testimonialibus literis, ut supra, & nisi ad præscriptum Concilii Trid. præfati, familiarem prædictum, per integrum, & completum triennium in suo actuali servitio secum retinuerit, ac suis sumptibus aluerit: *Beneficium insuper*, quod et ad vitam sustentandam, juxta modum superius præfinitum, sufficiat, quacumque frande cessante, statim, hoc est saltem intra terminum unius mensis à die factæ Ordinationis, re ipsa illi conferat, ac in ordinationis hujusmodi testimonio expressam etiam familiaritatis, ac literarum prædictarum mentionem facere teneatur.

Porro, ut quicumque fraudibus aditus omnino præcludatur, volumus, & Apostolica auctoritate statuimus, atque decernimus, ut Episcopus quilibet, suos ratione originis, seu domicilii subditos Clericos, quoscumque, ab alie-

alienis Episcopis quavis auctoritate, etiam cum suis commendatiis litteris promotos, nedum ad formam Concilii Trid. supradicti quoad scientiam examinare valeat, verum etiam Ordinum eis collatorum testimoniales literas, gratis tamen recognoscere, ac diligenter perquirere, an quoad illos presentis constitutionis forma, & dispositio adimpleta fuerit, assignato sic promotis termino competenti ei magis bene viso, ad docendum de ejusmodi adimplemento, ita ut quos etiam termino elapso id minimè præstitisse compererit, à susceptorum Ordinum exercitio, si ita, & quandiu ei expedire videbitur, suspendere, illisque ne in altari, aut in aliquo Ordine ministrent, indicere possit.

Ita verò præmissa omnia, & singula perpetuò, ac inviolabiliter observari, atque adimpleri volumus, ut si quid in iisdem præmissis, seu eorum aliquo secus fiat, ordinans quidem à collatione Ordinum per annum, ordinatus verò à susceptorum Ordinum executione, quandiu proprio Ordinario videbitur expedire, eo ipso suspensus sit, aliisque insuper gravioribus pœnis pro modo culpe, nostro, & pro tempore existentis Romani Pontificis arbitrio infligendis, uterque subjaceat.

(*Et sequuntur Decreta roborantia, derogatoria contrariis, ac irrogatio pœnarum contra transgressores*).

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem 4. Novembris 1694. — Collect. Bullar. d. Pontif. pag. 179.

B. Card. Prædatarius.

I. F. Card. Albanus.

Visa de Curia I. Sacripantes.

- D. Ciampinus.

Loco ✕ Plumbi.

ADNOTATIONES.

DETRACTIS ONERIBUS. Memineris hinc, quod onera Missarum Beneficio injuncta in calculandis redditibus pro constituenda summa sufficienti tituli Ordinandorum ad Sacros Ordines non detrahuntur, sed hæc verba referenda sunt ad alia onera, etiam post emanatam Constitutionem hanc, ut declaravit Sac. Congreg. Concil. in Segnina Ordinationis 14. Aprilis 1696. & in Neapolitana, seu Scalen. 19. Febr. 1701. quæ Decreta attuli in Adnot. ad Form. XIII. Tit. de collat. Ordin. quod est juxta sententiam Card. de Luca de donat. disc. 11. num. 8.

2. Quæ autem onera ad hunc effectum detrahenda sint, docet idem Card. de Luca de Benefic. disc. 90. num. 80. ubi Menacelli Form. Pars I.

quod onera certa, & necessaria detrahenda à Beneficii fructibus sunt, refectio domus, oleum pro lampadibus, hostiæ, cerei, paramenta, cathedriticum, expensæ Visitationis, salarium Clericorum pro qualitate Ecclesiæ, & servitii, quatenus præstari sit solitum, nec non contributionis Seminarii, vel fabricæ Ecclesiæ, ac onus cambiorum.

Confirmat. Decretorum Congregationis S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum super Celebratione Missarum, etiam cum declarationibus, & innovatione Decretorum ab eadem Congregatione, auctoritate fel. rec. Urbani Papæ VIII. desuper alias factorum.

Hh 3 SUM-

S U M M A R I U M.

1 Cappellanus, qui habet onus applicandi Sacrificium quotidie, potest semel in hebdomada vacare, sed non pro aliis Sacrificium applicare, & allegatur Decretum Sacre Congregationis Concilii, num. 2. 3. 4. 5. 6.

7 Parochi aliove Curati perpetui tenentur diebus festis pro populo Sacrificium applicare, & num. 8.

9 Canonici Cathedralis, & Collegatarum tenentur canere Missam Conventualem, eamque applicare pro Benefactoribus quotidie.

10 Quid de Missis privatis descriptis in Tabella? ibid.

INNOCENTIUS EPISCOPUS &c.

Nuper à Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum prodierunt Decreta tenoris infra-scripti, videlicet.

Aliàs super celebratione Missarum, ac prohibitionem illas moderandi, seu reducendi absque Sedis Apost. licentia, nec non super earundem oneribus perpetuis suscipiendis, & Religiosorum numero ultra redditus, & consuetas eleemosynas locorum Regularium non habendo, emanarunt ab hac Sac. Congregatione S. R. E. Cardinalium Conc. Tridentini Interpretum, auctoritate per sel. re. Urbanum Papam VIII. illi specialiter attributa, quamplura Decreta tenoris sequentis.

Cum sæpè contingat in quibusdam Ecclesiis tam magnum Missarum celebrandarum numerum, ex variis Defunctorum relictis, aut plorim eleemosynis impositum esse, ut illis pro singulis diebus præscriptis nequeat satisfieri, & tamen nova onera Missarum in dies suscipiantur; indeque fiat, ut depereant pie Testantium voluntates, obstricta benefactoribus fides violeatur, Defunctorum animæ suffragiis priventur, Ecclesiis debitus subtrahatur cultus, ac Christi fideles gravi scandalo affecti, plerumque à similibus charitatis operibus retrahantur: Cumque his malis maximum inter cætera fomentum præbeat, aut quod ii, qui Missas supra vires celebrandas suscipiunt, sperent illas brevi ad pauciores numerum à Superioribus reductum iri, aut quod Ecclesiis forte pecuniarum absumpta, plerumque nuda remaneant onera Missarum absque ullo emolumento, aut quod eleemosyna pro illis celebrandis sit adeò tenuis, ut non facile inveniatur, qui velint huic se muneri subicere, & redditus Ecclesiæ, aut Monasterii adeò exigui, ut Sacerdotes pro necessaria sua sustentatione, novis se oneribus obstringere compellantur; Sacra Congregatio Cardinalium Conc. Tridentini interpretum animadvertens, facturam se rem Deo gratissimam, charitatis, ac justitiæ maximè consentaneam, si pro viribus satagat, hunc teterrimum abusum à Christiana Republica convellere atque eradicare, Sanctiss. D. N. Urbani Papæ VIII. auctoritate sibi specialiter attributa, infra-scripta Decreta edidit. Ac primò distinctè prohibet, atque interdicit, ne Episcopi in Diocesana Synodo, aut Generales in Capitulis Generalibus, vel aliàs quoquomodo reducant onera ulla Missarum celebrandarum, aut post idem Concilium imposita, aut in limine fundationis, sed pro his omnibus reducendis, aut moderandis, vel commutandis ad Apostolicam Sedem recurratur; quæ, re diligenter perspecta, id statuet, quod magis in Domino expedire arbitrabitur; alioquin reductiones, moderaciones, & commutationes hujusmodi, si quas contra hujus

pro:

prohibitionis formam fieri contigerit, omnino nullas, atque inanes decernit. Deinde, ubi pro pluribus Missis etiam ejusdem qualitatis celebrandis, stipendia, quantumcumque incongrua, & exigua sive ab una, sive à pluribus personis collata fuerunt, aut conferentur in futurum Sacerdotibus, Ecclesiis, Capitulis, Collegiis, Hospitalibus, Societatibus, Monasteriis, Conventibus, Congregationibus, Domibus, ac Locis Piis quibuscumque tam Sæcularibus, quàm Regularibus; Sac. Congreg. sub obtestatione Divini Judicii mandat, ac præcipit, ut absolute tot Missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint, ita ut alioquin ii, ad quos pertinet suæ obligationi non satisficiant, quinimò graviter peccent, & ad restitutionem teneantur.

Id verò ut deinceps observetur exactius, Sac. Congregatio eadem auctoritate revocat privilegia, & Indulta omnia quibusvis personis, Ecclesiis, ac Locis Piis, tam Sæcularibus, quàm Regularibus cujuscumque Ordinis, Congregationis, & Instituti quamcumque ob causam concessa, quibus indulgetur, ut certarum Missarum, vel Anniversariorum celebratione, aut aliquibus Collectis, seu Orationibus plurium Missarum oneribus in futurum suscipiendi satisfiat.

Ac similiter omne damnabile lucrum ab Ecclesia remove volens, prohibet Sacerdoti, qui Missam suscepit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eandem Missam alteri, parte ejusdem eleemosynæ sibi retenta, celebrandam committat.

Præterea, ne in Ecclesiis, in quibus onera Missarum in perpetuum imposita sunt, Sacerdotes in eis, ut par est, adimplendis eò tepidiores, ac seigniores reddantur, quod onera hujusmodi, cum nulla aut parva sint utilitate conjuncta; statuit, atque decernit, ut pecuniæ, ac bona mobilia Ecclesiis, Capitulis, Collegiis, Hospitalibus, Societatibus, Congregationibus, Monasteriis, Conventibus, ac Locis omnibus, tam Sæcularibus, quàm Regularibus, atque illorum personis in futurum simpliciter acquirenda cum onere perpetuo Missarum celebrandarum ab iis, ad quos pertinet, sub pœna Interdicti ab ingressu Ecclesiæ ipso factò incurrenda à die realis acquisitionis, statim deponi debeant penes eandem Sacram, vel personam fide, & facultatibus idoneam, ad effectum illa, seu illorum pretium, quàm primùm investiendi in bonis immobilibus fructiferis cum expressa, & individua mentione oneris, quod illis annexum reperitur.

Ac si eadem bona immobilia auctoritate Apostolica deinceps alienari contigerit, eorundem pretium, sub eadem pœna, ut supra, deponi, atque in aliis bonis stabilibus itidem fructiferis cum ejusdem oneris repetitione, atque annexione converti debeat.

Ad hæc Sac. Congregatio quibusvis Capitulis, Collegiis, Societatibus, & Congregationibus, nec non omnibus, & singulis Ecclesiarum, ac Piorum Locorum, tam Sæcularium, quàm Regularium Superioribus, vel aliis, ad quos pertinet, districtè prohibet, ne imposterum onera perpetua suscipiant Missarum celebrandarum, Sæculares quidem sine Episcopi, vel ejus Generalis Vicarii, Regulares verò sine Generalis, vel Provincialis consensu, & licentia in scriptis, & gratis concedenda; alioquin Sæculares, qui hujus prohibitionis Transgressor extiterit, ab ingressu Ecclesiæ interdictus sit eo ipso: Regularis verò pœnam privationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, ac perpetuæ

tuz inhabilitatis ad alia de cætero obtinenda, vocisque activæ, ac passivæ, absque alia declaratione incurrat.

Eleemosynas verò manuales, & quotidianas pro Missis celebrandis ita demum iidem accipere possint, si oneribus antea impositis ita satisfecerint, ut nova quoque onera suscipere valeant; alioquin omninò abstineant ab huiusmodi eleemosynis, etiam spontè oblati, in futurum recipiendis, & capsulas auferant ab Ecclesiis cum inscriptione illa: Eleemosyna pro Missis, vel alia simili, sub illdem pœnis ipso factò incurrendis, ne Fideles hac ratione frustrentur.

Episcopus verò, seu ejus Vicarius, aut Generalis, vel Provincialis, ubi de licentia pro perpetuis oneribus fuerint requisiti, in singulis casibus diligenter inquirent de singulis Missarum celebrandarum obligationibus cuique Ecclesiæ, Monasterio, aut Loco Pio incumbentibus; nec antea assensum huiusmodi, aut licentiam præbeant, quàm eis legitimè constiterit, illius Sacerdotes tam novo oneri suscipiendo, quàm antiquis jam susceptis satisfacere posse; præcipuamque rationem habeant, ut redditus, qui Ecclesiis, & Locis Pius relinquuntur, omninò respondeant oneribus adjunctis secundum morem cujusque Civitatis, vel Provinciæ; intelligantque, si in re tanti momenti desides, aut negligentes fuerint, in novissimo die se hujus prætermissi muneris rationem esse reddituros.

Postremò Illustrissimi Patres non sine gravi animi dolore intelligentes, mala ferè omnia, quæ regularem disciplinam evertunt, ac præcipuè nimiam hanc facilitatem fovent, in oneribus Missarum supra vires suscipiendis, veluti ex infecta radice, pullulare ex majori Regularium numero, quàm ferant redditus, & eleemosynæ cujusque Monasterii: inhærentes Summorum Pontificum, ac Sacris Conc. Trid. Decretis hac de re editis, Sanctiss. D. N. auctoritate præcipiunt, ac mandant omnibus, & singulis Generalibus, Provincialibus, Commissariis, Ministris, Præsidentibus, Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Guardianis, Vicariis, & quibuscumque aliis Superioribus Monasteriorum, Conventuum, ac Domorum Regularium bona immobilia possidentium, vel non possidentium, cujuscumque Ordinis, Congregationis, & Instituti existentium intra fines Italiæ, & Insularum adiacentium, ut singulis, ad quos pertinet in qualibet Provincia, adhibitis duobus, aut tribus Regularibus sui Ordinis, vel Congregationis, probatoribus, & rerum usu peritiis, bona immobilia, census, redditus, & proventus omnes, consuetas item eleemosynas, & obventiones tam communes Monasteriorum, Conventuum, & Domorum ejusdem Provinciæ, quàm etiam singularibus personis Religiosis assignatas, seu permissas in communem usum deinceps conferendas, decem annorum immediatè præcedentium habita ratione, diligenter, & mature recognoscant, iis omnibus detractis, quæ reparationes, præstationes, grandines, sterilitates, aliave cujuslibet generis onera consueverunt absorbere.

Eaque omnia scripto fideliter exarata, idem Superior, cujus interest, in proximo Capitulo, seu Congregatione Generali, vel Provinciali coram tribus Judicibus ab ipso met Capitulo, seu Congregatione deligendis, proponat, qui computatis huiusmodi redditibus, eleemosynis, & obventionibus universis, & oneribus ut supra detractis, sedulò examinent, quot Religiosi homines connumeratis etiam Laicis, aliisque necessariis servientibus, in unoquoque Monaste-

nafterio, Conventu, ac Domo Regulari juxta regionis, & proprii Inſtituti morem, victum, & veſtitum, & medicinalia in communi habentes, competenter valeant ſubſtentari. Tum eorundem bonorum, reddituum, eleemoſynarum, & onerum præciſam notam ipſimet Capitulo; ſeu Congregationi exhibeant, ut in illo diligenter omnibus diſcuſſis, cujuſque Familiæ, Monaſterii, Conventus, ac Domus Regularis in ſingula quaque Provincia, certus earum tantum perſonarum numerus, Patrum Capitularium voto præfigatur, quæ redditibus, eleemoſynis, & conventionibus, ut ſuperius ſufficienter ali poſſint.

Ne verò Superiores, qui id præſtare debent, ſerius, aut remiſſius, quàm par eſt, ſuo muneri ſatiſfaciant; mandat Sacra Congregatio, ut infra annum poſt proximum Capitulum Generale, vel Provinciale computandum, omnia hoc de genere capitulariter geſta, in authenticam formam redacta ad ſacram ipſam Congregationem Concilii ſinguli mittant.

Numerumque familiæ, ſingulorumque Conventuum, Monaſteriorum, & Domorum hujusmodi Regularium Capituli, ſeu Congregationis generalis, vel Provincialis ſententia & auctoritate præfinitum, iidem Superiores tam Generales, & Provinciales omnes, quàm Locales perpetuò ſervare omninò teneantur, nec poſſint illum quòquomodo augere, etiam prætextu augmenti reddituum abſque Sacræ ipſius Congregationis licentia; Superiores autem hujusmodi, qui prædicta omnia in præfixo termino non præſtiterint, vel numerum, ut ſupra præſcriptum, quoviſmodo augere præſumpſerint, privationis omnium officiorum, quæ tunc temporis obtinebant, vocisquæ activæ, ac paſſivæ, & ad omnia ſuæ Religionis officia, & gradus inhabilitatis perpetuam pœnam eo ipſo incurrere, atque aliis etiam gravioribus à Sede Apoſtolica infligendis pœnis, Sacra Congregatio ſubjacere voluit, & declaravit.

Deinceps verò Monaſterium, Conventus, Domus, Congregatio, vel Societas Religioſorum, ſeu Regularium nullibi recipiatur, niſi præter alia ad id requiſita, in ſingulis hujusmodi locis duodecim ſaltem Fratres, aut Monachi, ſeu Religioſi degere, & ex redditibus, & conſuetis eleemoſynis, detractis omnibus, ut ſupra detrahendis, competenter ſuſtentari valeant ad præſcriptum Decreti ſel. rec. Gregorii XV. hac de re editi. Alioquin Monaſteria, & loca hujusmodi poſthac recipienda, in quibus duodecim Religioſi, ut ſupra ſuſtentari, atque inhabitare non poterunt, & actu non inhabitaverint, Ordinarii loci viſitationi, correctioni, atque omnimodæ juridiſtioni ſubjecta eſſe intelligant.

Porro, ne ullo unquam tempore hæc in oblivionem, ſeu deſuetudinem abeant, Superiores locales cujuſque Monaſterii, Conventus, ac Domus Regularis curare, atque efficere teneantur, ſub pœna privationis Officii, vocisquæ activæ, & paſſivæ ipſo facto incurrenda, ut in perpetuum, ſexto quoque menſes, id eſt feria ſecunda poſt primam Dominicam Adventus, & feria ſexta poſt Octavam Corporis Chriſti præſentes Ordinationes in publica Menſa perlegantur.

Omnibus tam Eccleſiaſticis perſonis cujuſcumque ſint Ordinis, conditionis, & gradus, quàm Laicis quocumque honore, & poteſtate præditis, præſentia Decreta declarandi, vel interpretandi facultate penitus interdicta.

Non obſtantibus quoad ſupraſcripta omnia, & ſingula in præſentibus Decretis contenta Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis in favorem quarumcumque perſonarum, atque Ordinum tam Mendicantium, quàm non Mendican-

cantium, Militiarum etiam S. Joannis Hierosolymitani, Congregationum, Societatum, ac cujuslibet alterius Instituti, etiam necessario, & individuo exprimendi, Ecclesiarum, Monasteriorum, Conventuum, Collegiorum, Capitulorum, Hospitalium, Confraternitatum, & aliorum quorumcumque tam secularium, quam Regularium Locorum, necnon illorum, etiam juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis, & Consuetudinibus, etiam immemorabilibus, Privilegiis quoque, Indultis, & litteris Apostolicis, etiam Mari Magno, seu Bulla aurea, aut alias nuncupatis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam Derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus Decretis, etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolica potestatis plenitudine, aut alias quomodolibet etiam per viam communicationis, seu extensionis concessis, & iteratis vicibus approbatis, & innovatis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, & formis, specialis, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales, mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma servanda esset tenoris hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omissio, & forma in illis tradita observata, inferri forent, presentibus pro expressis habens, quibus quoad ea, quae presentibus advertantur illis alias in suo robore permansuris, Sac. Congr. Sanctitatis Suae auctoritate specialiter, & expressè derogat, ceterisque contrariis quibuscumque. Et ne praemissorum ignorantia à quoquam praetendi possit, voluit eadem Sacra Congregatio, ut praesentes Ordinationes in valvis Basilicarum Sancti Joannis Lateranensis, & Principis Apostolorum de Urbe, ac in acie Campi Florae, ut mortis est, affixae, omnes ad quos pertinet, ita arctent, & afficiant, ac si unicuique personaliter intimatae fuissent.

Utque earumdem praesentium transumptis, etiam impressis ac manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in dignitate Ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae presentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae die vigesima prima Junii 1625.

C. Card. de Torres.

Prosper Fagnanus Sac. Congreg. Secretarius.

EXcitatis autem super praemissorum Decretorum intelligentia, seu interpretatione infrascriptis dubiis, prodierunt à memorata Congregatione simili auctoritate illi à praefato Urbano Papa Octavo specialiter attributa responsiones, seu declarationes inferius apponendae.

Super primo Sacrae Congregationis decreto, de celebratione Missarum, quo prohibetur, ne Episcopi in Dioecesana Synodo, aut Generales in Capitulis Generalibus, vel alias quoquomodo, reduceant onera ulla Missarum celebrandarum, aut post idem Concilium imposita, aut in limine foundationis.

Queritur, quid si Legatum sit ita tenue, ut non sit qui velit onus illi injunctum subire, & si recurrendum sit ad Sedem Apostolicam pro moderatione oneris, totum, aut ferè totum, infumendum sit pro expensis ad id necessariis.

Et quid si permittatur Episc. in foundatione, ut possit hujusmodi onera moderari.

Se-

Secundò, super secundo ejusdem Congregat. decreto, quo cavetur, ut celebrentur tot Missæ, quot ad rationem tributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint.

Quæritur, an verba illa (præscriptæ fuerint) intelligenda sint de præscriptione facta ab Offerente, vel ab Ordinario.

Tertiò, an cum Ordinarius præscripserit eleemosynam congruam juxta qualitatem loci, personarum, ac temporum, Sacerdotes accipientes stipendium minus congruum, teneantur Missas illis ab Offerente præscriptas celebrare.

Quartò, an Sacerdotes, qui tenentur Missas celebrare ratione Beneficii, seu Cappellanæ, Legati, aut Salarii, possint etiam manualement eleemosynam pro Missis Votivis, aut Defunctorum recipere, & unico Missæ Sacrificio utrique oneri satisfacere?

Quintò, posito, quod Testator relinquat, ut celebrentur pro ejus anima centum Missæ, absque ulla præscriptione eleemosynæ.

Quæritur, an liberum sit hæredibus, eleemosynam sibi bene visam præscribere, an verò eadem eleemosyna præscribenda sit ab Ordinario?

Sextò, super tertio Congregationis decreto, in quo eadem Congregatio revocat privilegia quibus indulgetur, ut certarum Missarum, vel Anniversariorum celebratione, aut aliquibus collectis, seu orationibus plurium Missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfiat.

Quæritur, an verba (in futurum suscipiendis) intelligenda sint de oneribus suscipiendis post Privilegium?

Septimò, super quarto Congregationis decreto, quo prohibetur Sacerdoti, qui suscepit Missam celebrandam cum certa eleemosyna, ne eandem Missam alteri, parte ejusdem eleemosynæ sibi retenta, celebrandam committat.

Quæritur, an permittendum sit administratoribus Ecclesiarum, ut retineant aliquam eleemosynarum portionem pro expensis manutentionis Ecclesiæ, Altarium, Interventium, Paramentorum, Luminum, Vini, Hostiæ, & similibus?

Octavò, an hoc decretum habeat locum in beneficiis, quæ conferuntur in titulum, id est, an rector beneficii, qui potest per alium celebrare, teneatur Sacerdoti Celebranti dare stipendium ad rationem reddituum beneficii.

Decimò, an Sacerdotes, quibus aliquando offertur eleemosyna major solita, pro celebratione Missæ debeant dare eandem integram eleemosynam iis, quibus Missas celebrandas committunt, an verò satis sit, ut dent celebrantibus eleemosynam consuetam?

Undecimò, super quinto ejusdem Congregationis decreto, quo inter cætera statuitur in hæc verba -- *Eleemosynas verò manuales, & quotidianas pro Missis celebrandis, ita demum iidem accipere possint, si oneribus antea impositis ita satisfecerint, ut nova quoque onera obire valeant; alioquin omnino abstineant ab hujusmodi eleemosynis, etiam spontè oblati, in futurum recipiendis, & capsulas auferant &c.*

Quæritur, an hoc decretum prohibeat absolute, quominus accipiant novas eleemosynas, quia acceptis non satisfecerunt, & quid, si congruo tempore possint omnibus satisfacere.

Duodecimò, quid, si offerens eleemosynas, audito impedimento, consentiat, ut Sacerdos Missam celebret, cum primùm poterit?

Decimotertiò, an pœna interdicti, & aliæ appositæ in eodem Decreto afficiant

tam

- tam eos, qui accipiunt eleemosynas contra formam ibi præscriptam, quam eos, qui non auferunt capsulas ab Ecclesiis, ut ibidem præcipitur?
- Decimoquartò, an in hoc Decreto comprehendantur illæ capsulæ quæ apponi solent in Ecclesiis in die Commemorationis Defunctorum, & vulgò dicuntur (*Casse de' Morti*).
- Decimoquintò, an administratores Ecclesiæ, magnæ devotionis, & concursus, possint eleemosynas pro Missis celebrandis accipere, si iisdem Missis non nisi post longum tempus satisfacere valeant, ne aliàs cultus Ecclesiæ, & devotio, ac concursus fidelium, ut ajunt, minuantur?
- Decimosextò, quia prohibitio dicti decreti videtur aliquibus directa solis Capitulis, Collegiis, Societatibus, Congregationibus, necnon omnibus, & singulis Ecclesiarum, & piorum locorum, tam sæcularium, quam Regularium Superioribus, de quibus fit expressa mentio, non autem privatis Sacerdotibus, qui tamen comprehendi videntur sub clausula generali (& aliis ad quos pertinet) supplicatur pro opportuna declaratione.
- Decimosseptimò, super septimo ejusdem Congreg. decreto, quo cavetur, ut in singulis Monasteriis Religiosorum præfigatur numerus, qui ex consuetis redditibus, aut eleemosynis commodè possit sustentari.
- Quæritur, an ubi hæc præfixio facta jam fuit in vim similis decreti sa. me. Pauli V. absque tamen computatione reddituum cujusque Religiosi, sit denuò facienda nec ne.
- Decimo octavò, an novitii ad habitum Regularem admissi possint admitti ad professionem in Monasteriis, in quibus habita ut supra præfixione numeri, commodè ali non possunt.
- Decimononò, super ultimo, quo cavetur, ut nullibi recipiantur Conventus Regularium, nisi præter alia ad id requisita duodecim saltem Fratres in eis degere, & competenter sustentari valeant, ita ut alioquin subsint jurisdictioni Ordinariæ.
- Quæritur, an hoc decretum, quod videtur editum in ordine ad celebrationem Missarum, comprehendat eas Religiones, quæ non consueverunt onera Missarum recipere, ut sunt Religiones Cappuccinorum, ac Societatis Jesu?
- Ultimò, an idem decretum, ubi disponit, ut nullibi recipiantur Monasteria, nisi &c. habeat locum in Italia dumtaxat, ad quam est restrictum Decretum proximè antecedens, an verò etiam extrà Italiam.

Declarationes, seu Responsiones ad supradieta Dubia.

SAcra Congreg. Card. Conc. Trid. Interpretum, auctoritate sibi à Sanctissimo Domino Nostro attributa, ad singula dubia superius proposita, ad hunc modum respondit, videlicet.

Ad primum, etsi legatum sit adeò tenue, nihilominus pro reductione oneris, ut supra impositi, ab iis, ad quos pertinet, Sedem Apostolicam esse adeundam, quæ absque ulla impensa id statuet, quod magis in Domino è re esse judicaverit. Verumtamen si in ipsa Beneficii creatione expressè cautum fuerit, ut liceat Episcopo injunctum onus reducere, ac moderari, legem hanc foundationis quam decreta hac de re edita non sustulerunt, esse validam, & observandam.

Ad

Ad secundum, esse intelligenda de præscriptione facta ab eo, qui eleemosynam tribuit, non autem ab Ordinario: Quod si tribuens eleemosynam numerum Missarum celebrandarum non præscriperit, tunc tot Missas celebrari debere, quot præscriperit Ordinarius secundum morem Civitatis, vel Provinciæ.

Ad tertium, teneri.

Ad quartum, Sacerdotes, quibus diebus tenentur Missas celebrare ratione Beneficii, seu Cappellaniæ, Legati, aut Salarii, si Eleemosynas pro aliis etiam Missis celebrandis susceperint, non posse eadem Missa utrique obligationi satisfacere.

Ad quintum, censuit, ubi nullam certam eleemosynam Testator reliquit, esse ab Episcopo præscribendam eleemosynam congruam, quæ respondeat oneribus Missarum celebrandarum, secundum morem Civitatis, vel Provinciæ.

Ad sextum, ita esse intelligenda.

Ad septimum respondit permittendum non esse, ut Ecclesiæ, & loca pia, seu illorum Administratores, ex eleemosynis Missarum celebrandarum, nullam utcumque minimam portionem retineant ratione expensarum, quas subeunt in Missarum celebratione, nisi cum Ecclesiæ, & loca pia alios non habent redditus, quos in usum earundem expensarum erogare licitè possint; & tunc quam portionem retinebunt, nullatenus debere excedere valorem expensarum, quæ pro ipsomet tantum Missæ Sacrificio necessariò sunt tubeunde; nihilominus eo etiam casu curandum esse, ut ex pecuniis, quæ supersunt, expensis ut supra deductis, absolutè tot Missæ celebrentur, quot præscriptæ fuerint ab offerentibus eleemosynas.

Ad octavum, non habet locum, sed satis esse, ut Rector Beneficii, qui potest Missam per alium celebrare, tribuat Sacerdoti Celebranti eleemosynam congruam, secundum morem Civitatis, vel Provinciæ, nisi in fundatione ipsius Beneficii aliud curatum fuerit.

Ad decimum, debet absolutè tribuere integram eleemosynam Sacerdoti Celebranti, nec ullam illius partem sibi retinere posse.

Ad undecimum, respondit, non prohibere absolutè; ac propterea et si oneribus jam susceptis non satisfecerint, posse tamen nova etiam onera suscipere Missarum celebrandarum, dummodo infra modicum tempus possint omnibus satisfacere.

Ad duodecimum, quamvis onera suscepta infra modicum tempus adimpleri nequeant, si tamen tribuens eleemosynam pro aliarum Missarum celebratione id sciat, & consentiat, ut illæ tunc demum celebrentur, cum susceptis oneribus satisfactum fuerit, decretum non prohibere, quo minus eo casu eleemosyna accipiat pro iisdem Missis juxta Benefactoris consensum celebrandis.

Ad decimum tertium, has pœnas non habere locum, nisi in suscepturis onera perpetua Missarum celebrandarum sine licentia Episcopi, vel ejus Generalis Vicarii, aut Generalis, vel Provincialis.

Ad decimum quartum, comprehendi.

Ad decimum quintum, non posse, nisi de consensu eorum, qui eleemosynas tribuant, ut supra in responsione ad duodecimum.

Ad decimum sextum, comprehendi etiam privatos Sacerdotes.

Ad decimum septimum, numeri præfixionem esse iterum faciendam, servata forma ultimi Decreti hac de re editi.

Ad

Ad decimum octavum, esse admittendos ad professionem, si aliàs habiles existant, ac deinde in aliquo alio Monasterio ejusdem Religionis esse collocandos, ubi commodè ali possint.

Ad decimum nonum, censuit comprehendere.

Ad ultimum, habere locum extra Italiam.

Cosinus Card. de Torres.

Prosper Fagnanus Sac. Congreg. Secretarius.

CUM autem super præmissis diversi irrepserint abusus, illorumque occasione, quamplures querelæ, & recursus ad Apostolicam Sedem pervenerint; cupiens eadem Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum hujusmodi detestabiles abusus è Christiana Republica pro viribus evellere, ac opportunè providere, ut sublatis fraudibus, ac emendata negligentia, piæ dispositionum, seu *Benefactorum voluntati fides illibata servetur*, Defunctorum animabus integra, & prompta præstentur suffragia, itidemque Deo major gloria, & Ecclesiis præstantior cultus reddatur, prævia auctoritate per SS. Dominum Nostrium Innocentium Divina providentia PP. XII. ei specialiter attributa, infra scripta Decreta, prius in particulari nonnullorum ex præfatis Cardinalibus per Sanctitatem Suam deputata, & postea in Generali hujusmodi Cardinalium Congregatione maturè, & accuratè discussa, recognita, & examinata edidit.

In primis præinserta Decreta cum præmissis illorum declarationibus, plenissimè, & amplissimè approbat, confirmat, & innovat, omniaque, & singula ibidem contenta, & expressa iterum, omni meliori modo decernit, statuit, ab omnibus & singulis etiam speciali, & individuali nota, seu expressione dignis penitus observari, & omnimodæ executioni demandari decernit, sancit, & præcipit.

Insuper, ut in re tanti momenti consultius, ac majori, ut par est, circumspèctione procedatur, si qui forsan fuerint, vel sint, qui suis pravis, & erroneis intentionibus, seu opinionibus blandiri volentes Missarum celebrationem omittunt sub malitiosa, vel irrationabili spe earundem condonationem, vel reductionem à Sede Apostolica, vel compositionem à Reverenda Fabrica S. Petri de Urbe, obtinendi, Congregatio præfata tum eosdem, tum quoscumque alios, qui posthac in adeò detestabiles abusus ausi fuerint offendere, certiores fieri, & monitos esse voluit, præfatas condonationes, & reductiones ab eadem Sede, non nisi ex rationabili causa, seu æqua commiseratione, compositiones verò à dicta Fabrica utente suis facultatibus, & privilegijs, non nisi ex causa pariter rationabili, & cum clausulis opportunis, & præsertim cum illa - *Dummodò malitiosè non omiserint animo habendi compositionem*, aliàs gratia nullo modo suffragetur, admitti consuevisse, & solere; quapropter, ut locus omnis impostorum hisce prætextibus præcludatur, memorata Congregatio tales intentiones, opinioniones, seu spes, ac elemosynarum, sive in toto, sive in parte versiones in alium, quàm præfatarum Missarum usum, seu satisfactionem, & quascumque alias directas, vel indirectas, immediatas, vel mediatas contraventiones, seu circumventiones declarat prorsus irrationabiles, injustas, & illicitas, illasque omninò reprobat, damnat, & interdicat.

Cumque e hujusmodi absurda ex eo plerumque proveniant, quòd onera Missarum supra vires suscipiantur; caveant omnes, & singuli Rectores, Superiores, & mi-

ministri quarumcumque tum Sæcularium, tum Regularium Ecclesiarum, seu illarum Capitula, ne onera, seu Missas tum perpetuas, tum temporales, tum etiam manuales, quarum satisfactioni impares fuerint, quoquomodo suscipiant, utque id ipsum quoad fieri poterit, pateat, teneantur iidem conficere, semperque in loco magis patenti, & obvio retinere Tabellam onerum perpetuorum, & temporalium litteris perspicuis, & intelligibilibus descriptorum, quorum, implemento, si moraliter, & intra præscriptum, seu breve tempus satisfacere non posse, seu illa dumtaxat, & non ulteriora adimplere posse crediderint, seu credere debuerint, alias Missas, sive perpetuas, sive manuales per interpositas personas quoquomodo recipere, seu acceptare omnino desistant, seu abstineant, & ulterius tali casu in eadem Tabella similiter expriment sese propterea alijs Missis acceptandis, & celebrandis impares esse.

Iidemque teneantur pariter in Sacrario duos Libros retinere, ac in eorum altero singula onera perpetua, & temporalia; in altero autem missas manuales, & tam illorum, quam istarum adimplementum, & eleemosynas distinctè, & diligenter adnotare, & adnotandas, seu adnotanda curare, singulisque annis de supradictis adimplementis, eleemosynis, & oneribus pariter exactam rationem suis Superioribus reddere, ac omnes, & singulas rationes huiusmodi in præfatis respectivè Libris simili distinctione, & diligentia, tam præfati, à quibus rationes debent reddi, quam Superiores, quibus reddendæ erunt, describere, seu adnotare, sive describendas, vel adnotandas, respectivè curare.

Quibus semper salvis, debeant ulterius Regulares prædicti, omnes, & quascumque eleemosynas tum perpetuarum, tum temporalium Missarum reponere in Capsa particulari sub duabus Clavibus, quarum una penes Superiorem Localem, altera verò penes alium à Capitulo Conventuali deputandum retineatur, ac de iisdem eleemosynis, & celebratione Missarum, coram Patribus Discretis, seu Consiliarijs, vel alio simili modo nuncupatis, singulis mensibus districtam rationem exigere, & respectivè reddere.

Quod si prædicti, ad quos cura Tabellæ, Capse, & Librorum præfatorum respectivè pertinet, seu pertinere debet, suam operam præmissis, ut præfertur minimè navaverint, & Superiores tum Sæcularium, tum Regularium Ecclesiarum rationem prædictam non exegerint, seu non invigilaverint, quod præfati, qui in curam Tabellarum, & Librorum incumbunt, suo muneri, ut præferuntur, satisfaciant, in singulis respectivè casibus Sæculares penam suspensionis incurrant; Regulares verò voce activa, ac gradibus, & officiis, quæ obtinent, ipso facto, & absque alia declaratione privati sint, & intelligantur, nec non ad huiusmodi gradus, & officia obtinenda similiter inhabilitentur, & inhabilitati sint, & intelligantur.

Porrò, ne ullo umquam tempore omnia, & singula Decreta prædicta in oblivionem, seu defuetudinem abeant, Rectores, Superiores, seu Capitula Ecclesiarum Sæcularium illa retineant publicè exposita in eorum Sacrario; Superiores verò Locales cuiuscumque Monasterij, Conventus, ac Domus Regularis curare, & efficere teneatur, sub pœna privationis Officiorum, quæ obtinent, vocisque activæ, & passivæ ipso facto incurrenda, ut in perpetuum sexto quoque mense, idest feria secunda post primam Dominicam Adventus, & feria sexta post Octavam Corporis Christi omnes, & singulæ præmissæ, tum

inter-

insertæ, seu confirmatæ, tum in præsens factæ Ordinationes unâ cum dictis declarationibus in publica Mensa perlegantur.

Meminerint igitur, & satagant Ordinarii, & à personis, & in Ecclesiis quomodo etiam in vim Decretorum Concilii Tridentini sibi subjectis, Missæ ea, qua par est, fide, & diligentia celebrentur, & cuncta, & singula Decreta hujusmodi omnimodæ executioni demandentur, nedum justitiam regerentibus, seu instantibus reddentes, sed ex officio tum in visitationibus, tum in aliis actionibus, & modis, quos expedire, & convenire, toties, quoties judicaverint, inquirentes, ne aliquid committatur, pervertatur, differatur, vel omittatur, quod his omnibus, & singulis decretis adverteretur.

Caveat etiam respectivè omnes Regulares tum Subditi, tum Superiores quicumque nedum Locales, sed etiam Provinciales, & Generale Missarum celebratio, & omnium Decretorum præmissorum executio, cum pernicie propriarum animarum, cum præjudicio illarum, quibus Missæ sunt applicandæ, & cum magno Christianifidelium scandalo quomodo omittantur, differantur, negligantur, seu pervertantur, alioquin ultra propriæ conscientie operationem, pœnam privationis vocis activæ, & passivæ, ac graduum, & officiorum que obtinent, necnon inhabilitationis ad hujusmodi gradus, & officia obtinenda profus incurrant.

Curent propterea præfati Superiores Regulares in omnes, & singulos contravenientes debitè penis diligenter, & promptè etiam per inquisitionem animadvertere, & insuper teneantur omnes, & singuli Superiores Locales in Provincialibus Capitulis, seu Congregationibus exhibere attestacionem, seu fidem ab omnibus Sacerdotibus Conventus, Monasterii, seu cujuscumque Domus Regularis subscriptam, & juratam, quod omnibus, & singulis tum perpetuis, tum manualibus Missarum oneribus, seu obligationibus ad limites, & tenorem præsentium Decretorum tempore eorum Regiminis fuerit omninò, & integraliter satisfactum, vel deficiente aliqua modica satisfactione possit etiam hujusmodi residuali inplemento Missarum distinctè referendarum intra breve tempus moraliter satisfieri, ea adjecta, & omninò adimplenda conditione, quod ante præfata attestacionis exhibitionem quicumque Superiores Locales prædicti vocem activam, seu passivam in memoratis Capitulis, seu Congregationibus omninò habere non valeant.

Præterea Provinc. Vicarii, & Visitatores Provinciarum, seu Congregationum debebunt in fine eorum Regiminis Superioribus Generalibus in forma probante ostendere, quod executioni præsentium Decretorum sedulo invigilaverint, & ad eorum tenorem in omnibus, & singulis Conventibus, seu Monast. vel Domibus Regularibus Provincie, seu Congreg. de omnibus, & singulis oneribus, & obligationibus, ac insimul satisfactionibus Missarum exactam, & diligentem rationem exegerint, ac contra delinquentes ad declarationem, & executionem respectivè pœnarum in Decretis contentarum processerint, & de adimplemento circa ea, quæ in præmissis ad ipsos spectant, legitimè docuerint, aliàs ad vocem activam, & passivam in Capitulis Generalibus nullatenus admittuntur.

Cæterum, quia etiam ad quamplures Archiconfraternitates, Confraternitates, Societates, Congregationes, Hospitalia, Altaria, Cappellas, Oratoria, & Ecclesias, ac alia loca, & opera pia quomodolibet nuncupata, quæ cuicumque curæ, seu regimini, aut administrationi, vel directioni Laicorum cujuslibet gradus, status, conditionis, & præminentie etiam speciali, & indivi-

dua-

duali nota dignorum dumtaxat, vel quorumcumque Ecclesiasticorum, & laicorum hujusmodi mixtim commendata, annexa, seu quomodocumque commissa, vel attributa sunt, onus, seu cura celebrationis Missarum, sive manualium, sive ad tempus, vel in perpetuum pertinet; hinc salvis semper iis, quæ in præsertis Decretis continentur, omnes, & quicumque hujusmodi Archiconfraternitatum, Societatum, Congregationum, Hospitalium, Altarium, Cappellarum, Oratoriorum, & Ecclesiarum, ac aliorum locorum, & operum piorum Rectores, seu Administratores, vel Directores, & alii hujusmodi Officiales, necnon ii, ad quos cura Tabellæ, & Librorum in præmissis spectat, Tabellam, Libros, & hæc Decreta respectivè juxta modos superius expressos, similiter retinere, necnon de oneribus, ac celebrationibus, & elemosynis dictarum Missarum, singulis annis rationem exigere, & respectivè iis, ad quos pertinet, reddere sub pœnis arbitrio, & in subsidium excommunicationis, teneantur. Postremò omnibus, & quibuscumque tam Ecclesiasticis personis cujuscumque Ordinis, Status, Gradus, Regulæ, Congregationis, Societatis, Conditionis, & Dignitatis existant, quàm Laicis quocumq; honore, ac potestate præditis, omnia, & singula præmissa decreta interpretandi, necnon Ecclesiasticis prædictis pœnas in hujusmodi Decretis relaxandi, seu quoquo modo circa præmissa dispensandi, omnes, & quæcumque facultas sit penitus interdicta.

Non obstantibus quoad suprascripta omnia, & singula in hujusmodi Decretis contenta, Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis in favorem quarumcumque personarum, atque Ordinum tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, Militiarum etiam S. Joannis Hierosolymitani, Congregationum, Societatum, ac cujuslibet alterius Instituti, etiam necessariò, & individuò exprimendi, Ecclesiarum, Monasteriorum, Conventuum, Collegiorum, Capitulorum, Hospitalium, Confraternitatum, & aliorum quorumcumque tam sæcularium, quàm Regularium locorum, necnon illorum etiam juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis, & Consuetudinibus etiam immemorabilibus, Privilegiis quoque, Indultis, & litteris Apostolicis, etiam Mari Magno, seu Bulla aurea, aut aliàs nuncupatis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus decretis, etiam Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet, etiam per viam communicationis seu extensionis concessis, & iteratis vicibus approbatis, & innovatis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, & formis, specialis & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales, mentio, seu quævis alia expressio, habenda, aut aliqua alia exquisita forma servanda esset, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata, inserti forent, præsentibus pro expressis habens, quibus quoad ea, quæ præsentibus adversantur, illis aliàs in suo robore permanens, S. Congr. Sanctitatis S. auctoritate specialiter, & expressè derogat, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ die 23. Novembris 1697.

Joseph Card. Sacripantes Præfectus.

Ferdinandus Nuptius Sac. Congr. Secr.

Quo circa, cum Dilectus Filius noster Joseph Tituli Sanctæ Mariæ Traspontinæ S. R. E. Presbyter Cardinalis Sacripantes, memoratæ Congregationis Præfectus, præfata decreta Nobis retulerit, Nos considerantes eadem omnia, & singula Decreta, ea qua decet maturitate digesta, & examinata, ac in vim Apostolicæ auctoritatis, eidem Congregationi specialiter, ut præferatur, attributæ peracta, perutilia fore censentes, illaque propterea perpetuò, & inviolabiliter observari, nec non Constitutionis nostræ munimine roborare volentes; Motu proprio, non ad cuiusdam Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia, & matura deliberatione, deque Apostolicæ potestatis plenitudine præinserta Decreta, omniaque, & singula in eis contenta tenore præsentium auctoritate Apostolica confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis, & irrefragabilis Apostolicæ firmitatis robur, & efficaciam adjicimus; quinimò motu, scientia, deliberatione, ac potestatis plenitudine similibus omnia, & singula in supradictis Decretis contenta, de novo statuimus, decernimus, & ordinamus, ac ab omnibus, & quibuscumque, etiam speciali, & individua nota dignis, omninò exactè, & perpetuò servari volumus, sancimus, & mandamus.

Decernentes præsentis litteras, cum omnibus, & singulis inibi contentis, semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus fortiri, & obtinere debere, & ab omnibus, ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissimè, & inviolabiliter observari, sicque, & non aliter per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, quavis auctoritate, præ eminentia, aut potestate fungentes, & functionarios, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Sedis Apostolicæ Nuncios, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, judicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contingerit attentari.

Non obstantibus omnibus, & singulis, quæ præfata Congregatio auctoritate per ejusdem recordationis Urbanum Papam VIII. & respectivè per nos illi specialiter attributa, decrevit non obstare, quæ pariter, & iterum nos tenore præsentium non obstare decernimus, & mandamus, quibus omnibus quoad ea, quæ præsentibus adversantur, illis aliàs in suo robore permanens, etiam harum serie plenissimè, specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut præsentis litteræ in valvis Ecclesiæ, Lateranensis, ac Basilicæ Principis Apostolorum, necnon Cancellariæ Apostolicæ, Curieque Generalis in Monte Citorio, ac in Acie Campi Floræ de Urbe, ut moris est, publicentur, & affigantur, sicque publicatæ, & affixæ omnes, & singulos, quos illæ concernunt, perinde ardeant & afficiant, ac si unicuique eorum personaliter intimatæ fuissent.

Pariterque, ut earundem præsentium transumptis impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergò omninò hominum liceat paginam hanc nostrarum Confirmationis, Approbationis, statuti, Decretorum, Ordinationis, Voluntatis, Sanctio-

nis, Mandatorum, & Derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Domini cæ millesimo sexcentesimo nonagesimo septimo, Decimo Kac. Januarii, Pontificatus nostri anno septimo.

B. Card. Prodatarius.

I. F. Car d. Albanus.

Registrata in Secretaria Brevium.

I. Catallus.

Visa de Curia.

I. Ciampinus.

ADNOTATIONES.

I BENEFACTORUM VOLUNTATI FIDES ILLIBATA SERVETUR. Potest Episcopus prohibere, ne Regulares assumant satisfactionem onerum Missarum in Ecclesiis sæcularibus, nisi in casu penuriæ Sacerdotum Sæcularium, & nisi obtenta ejus expressa licentiam, Sac. Congreg. Episcoporum in Cremonen. 11. Septembris 1598. & Sac. Congr. Concilii in Senonen. 18. April. 1654.

An autem Cappellanus, seu Beneficiarius, qui ex dispositione Testatoris, seu Benefactoris tenetur celebrare quotidie, dicatur servare illi fidem, si semel in hebdomada vacet, & pro se, vel pro aliis Sacrificium applicet?

2. Nonnulli Theologi Morales malè interpretantes *Text. in cap. Significatum de præb. absolutè* videntur admittere opinionem affirmativam, allegantes pro se Navar. in consil. 6. de præbend. tom. 1. lib. 3. Abbat. in dicto cap. Significatum n. 4. Alii verò (& meliùs) hoc distinguentes vacationem admittunt, sed non applicationem Sacrificii pro aliis.

3. Gavant. in rubr. Missal. par. 3. tit. 12. n. 17. sic dicit -- Si uni tantum impositum est quotidianum onus, ut per se ipsum impleat; nam hoc intelligi debet salva honestate, & decentia, ratione cujus vacare potest à Missa celebranda semel in hebdomada;

hoc est potest semel non celebrare, non autem potest semel pro alio applicare Sacrificium, quæ duo sunt valdè diversa.

4. Biff. Hierurg. litt. C. num. 109. hæc habet -- Cappellanus tenetur celebrare juxta mentem Testatoris &c. si enim ex ea consistet Cappellanus debere celebrare quacumque die per se, vel per alium, utique non potest aliquando vacare, nisi per alium suppleat; si verò id expressè non caveatur, tunc posse in unaquaque hebdomada semel omittere Sacrum, concedunt communiter DD. &c. limita tamen dummodo id fiat propter decentiam, & reverentiam rei sacræ, non verò causa voluptatis. Et litt. S. n. 190. §. 9. se meliùs explicando inquit -- At ego verius puto cum Quart. in Append. de Sacrif. Miss. quæst. 4. par. 2. difficult. 4. quod Cappellanus possit semel in hebdomada omittere Sacrum, ut tamen si vult celebrare debeat Missam pro Fundatore celebrare, addita limitatione posita in litt. C. quia Fundator jus habet in fructu omnium Missarum.

5. Fagnan. in dicto cap. Significatum de præbend. num. 9. -- Declarat notabiliter, ut procedat in eo tantum casu, in quo specialiter cautum est, ut Presbyter celebret unam Missam quotidie per se ipsum, prout hic cautum fuerat &c. Secus verò, si simpliciter statutum, aut conventum sit, ut Sacerdos celebret quotidie unam Missam, nec sit adjectum, ut celebret per se ipsum, quia tunc oneri celebrationis Missarum potest per

I i 2 alium

alium satisfacere &c. & consequenter cum onus non sit personale, nihil impedit quominus Missa celebrari debeat quotidie absque ulla intermissione, cessat enim ratio honestatis, & devotionis celebrantis hic considerata, &c.

6. His auctoritatibus bene fundatis innixa, aliisque laxis rejectis (super hac materia interrogata Sac. Congregatio Concilii per Episcopum Collensem) subnexis dubiis respondit, prout sequitur.

PRIMO. An Sacerdotes obligati ratione Beneficii, Cappellanæ, legati, aut stipendii celebrare quotidie Missam per se ipsos, possint aliquando à celebratione vacare? & quatenus affirmativè.

SECUNDO. Quando, & quoties à dicta celebratione vacare possint?

TERTIO. An diebus licitæ vacationis possint Missam pro se ipsis, vel aliis præterquam pro Fundatoribus celebrare? & quatenus affirmativè.

QUARTO. An pro aliis celebrando possint stipendium pro huiusmodi celebratione percipere?

QUINTO. An illis diebus quibus licitè vacant à celebratione teneantur Missam ab aliis celebrari facere juxta intentionem Fundatorum?

SEXTO, An Sacerdotes ut supra obligati celebrare Missam quotidie absque tamen onere celebrandi per se ipsos, possint aliquando à celebratione vacare?

Sacra Congregatio Concilii die 18. Septembris 1683. Ad primum, & secundum respondit affirmativè concurrente aliqua rationabili causa. Ad tertium, quartum, & sextum negativè. Ad quintum d'stulit resolutionem. Lib. 33. fol. 311. Hæc tenet, quia multum juvant visitantibus Diœceses: Nec dubites de veritate, & existentia horum Decretorum, quoniam ex registro Congregationis deprompta sunt, & nuper Synodus Provincialis Neapolitana illa rejectit ad Appendicem pag. 176.

7. Præterea si in impositione oneris dicatur, quod Cappellanus debeat continuè singulis diebus Missam celebrare, & si cessaverit eam facere, teneatur solvere . . . pro qualibet Missa non celebrata, tunc non posset vacare, nec quiescere, nisi suppleret per alium, ut respondit eadem

Sac. Congregat. 17. Septembris 1695. Non teneretur tamen neque per alium celebrare tempore infirmitatis non excedentis quindecim dies, ut declaravit Sac. Congr. Conc. 17. Novemb. 1695.

8. An autem Parochi, aliivè Ecclesiarum Rectores Curati, & perpetuò intituati, qui Curam habent, Animarum dicantur fidem frangere, si pro populo Sacrificium saltem diebus festivis non applicent? Quæsitò affirmativè plurivè respondit Sac. Congregatio Concilii) cujus est auctoritas ipsum Concilium Tridentinum declarandi, & interpretandi) non solum quia ab hominibus hoc onus ejus injunctum reperitur, sed præcepto Divino, prout habetur in Decreto extradito pro Diœcesi Lucana 10. Maii 1681. cujus tenor talis est.

9. Cum præcepto Divino ut, quibus animarum cura commissa est, mandatum sit pro omnibus suis Sacrificium offerre, sæpè aliàs Sac. Congr. Concilii censuit, Parochos teneri pro Parochianis Sacrificium applicare, atque ea cum distinctione, ut si redditus pinguis sint, singulis diebus, si verò tenues, saltem diebus festis; idem nunc censet quoad Parochos istius Civitatis, & Diœcesis, hoc insuper addens, ut detrectantes E. V. pro suo Pastoralis Zelo compellere non graveur. Hanc Sac. Congr. Sententiam E. V. significo, eique manus humillimè deosculor. Rome 10. Maii 1681. -Humillimus, & Addictissimus Servus F. Card. Columna -- Stephanus Archiepiscopus Brancacius Sac. Congr. Secretarius.

10. Alia Decreta concordantia ipsius Sac. Congreg. retuli in Adnot. ad Formul. II. tit. de erect. Benef. quæ etiam referuntur passim in Synodi diversarum Diœcesum, & præsertim in Farsensi tit. de offic. Paroch. n. 8. 1686. in Albanensi 1689. eod. tit. §. 5. in Aesina secunda 1694. & in Neapolitana anno 1700. editis eod. tit. Et hic in praxi nota, quod, si in Libris vulgò -Vacchettæ Secretariæ, de aliquo Decreto, quod allegatur, non constat: sufficit, quod de eo appareat per relationem vel epistolam, vel notationem proprio caractere factam Cardinalis Causæ Ponentis, prout declaravit, & Decretum ann. 1673. in sola relatione Card. Cybo Ponentis receptum extradi mandavit Sac. Congreg. Epi-

*Episcop. in Mantuana Nullitatis Professio-
nis 3. Aprilis 1693. ad relationem Eminen-
tissimi Card. de Carpineo. Et idem proce-
dere inferas in Decretis aliarum Congre-
gationum, in quibus datur Cardinalis Re-
lator, ex paritate rationis, præstantiæ
scilicet fidei Cardinalium.*

11 Cumque propterea declarationes
hujusmodi obtineant vim legis, adeo-
t non solum in exteriori judicio, sed etiam
in foro animæ obligandi vim habeant, ut
latè probat Fagnan. in cap. Quoniam de
Constit. Non quod Bonacc. de Sacram. Eu-
char. disp. 4. qu. ultima punct. 7. Barbof. al-
leg. 24. & de offic. Paroch. cap. 11. Fraxinell.
de oblig. Sacerd. sect. 3. præ nu. 2. & alii di-
xerunt; sed quod tenet, & declarat Sac.
Congreg. Concilii, firmiter tenendum est,
& exequendum.

12 Et idem dicas de Missa Conventua-
li, quam quotidie celebrare, & pro Fun-
datoribus applicare tenentur omnes Ec-
clesiæ Cathedralis, & Collegiatae, non
obstante tenuitate reddituum, quia est pars
Officii Divini, Fagnan. in cap. Ut Abbates
nu. 82. & 83. de atat. & qualit. & est onus
de jure impositum in fundatione, cap. Cum
creatura de celebr. Missar. ibique Fagnan.
nu. 21. Concilii Trid. cap. 12. sess. 24. de Re-
form. Sac. Congregat. Concilii in Tusculana
16. Novembris 1652. apud Chrispin. de
visit. par. 2. cap. 20. & in Civitatis Castella-
næ 4. Martii 1690.

13 At quoad onera Missarum privata-
rum descripta in Tabella, tenentur quidem
Canonici juxta illius ordinem celebrando
adimplere: Sed si nullibi appareret vesti-
gium à quo, & pro quo esset onus specia-
liter injunctum, & impositum, non tene-
rentur Sacrificium applicare; quia tunc
onus in Tabella descriptum censeretur ap-
positum pro majori servitio Ecclesiæ, &
Populi commoditate duntaxat, non au-
tem ad illarum applicationem injungenda,
Sac. Congreg. Concilii in Camerinen.
4 Junii 1701.

Monacelli Form. Pars I.

Lettera Circolare della Sacra Con-
gregatione de' Vescovi, e Re-
golari, sopra gl' Impieghi, &
Esercizii indecenti degli Eccle-
siastici.

S U M M A R I U M.

- 1 **E** Piscope, & Patriarchæ Orientales Catholicæ, non comprehenduntur in Constitutionibus Apostolicis, nisi de illis fiat expressa mentio.
- 2 Patriarchæ Orientales Catholicæ ordinant Episcopos, & Archiepiscopos.
- 3 Si tamen ordinarent Sacerdotem Latinum in Episcopum Rito Græco, ordinatio esset illicita.
- 4 Melius est paucos, & dignos habere Ministros, quam multos inutiles.
- 5 An ubi non reperiuntur Clerici idonei, promovendi sint minus habiles? referuntur sententiæ DD. & num. 6. & 7.
- 8 Clerici tantò facilius exaudiuntur, quanto apud Deum sunt digniores.
- 9 Clerici in Sacris constituti, aut Beneficiati, non debent Laicis pro negotiis deservire.
- 10 Non possunt Medicinam exercere.
- 11 Possunt compositiones Julepporum facere, & distribuere in usum pauperum.
- 12 Clericus Physicus, cui Indultum concessum fuit, ut possit exercere artem medicam gratis, & amore Dei non potest mercedem recipere, neque à sponte dantibus.
- 13 Si verò Indultum haberet in ventre clausulam -- Dummodò nihil petas, sed à sponte dantibus, à pauperibus verò nihil omninò recipias, non potest à publico conducere mercedem conventam, & affertur exemplum à Sac. Congregat. decisum.
- 14 Illegitimi Clerici non possunt eligi in Subcollegios spoliatorum.
- 15 Dispensatus ad Ordines non censetur dispensatus ad Beneficia.

Ii 3 Fal-

- 16 Fallit regula in dispensatione ab irregularitate partiali, & defectu non causante deformitatem.
- 17 Clericus dispensatus ad Ordinem ob maculam in oculo, non indiget alia dispensatione ad obtinenda Beneficia etiam Curata.
- 18 Clerici diffamati de homicidio per iudicia, diffamationem non purgant, quamvis torturam sustinuerint, & remanent irregulares.
- 19 Clerici deferentes Comam fictitiam possunt excommunicari, & nu. 20.
- 21 Clericorum Tonsura duae sunt species, & qui coronam non deserunt dicuntur nutrire Comam.
- 22 Clericis non est imponenda poenitentia publica, nisi pro delicto, quod mereatur depositionem.
- 23 Episcopus magis ad pietatem, quam ad rigorem debet inclinare.
- 24 Ecclesia invariabiliter prohibuit Clericis venationem cum armis, ludum alearum, & taxillorum.
- 25 Afferuntur rationes cur Clericis fuerit prohibita delatio armorum.
- 26 Afferuntur rationes cur iisdem prohibeantur spectacula.
- 27 Afferuntur rationes cur iisdem prohibeatur ludus alearum.
- 28 Parochi non possunt exercere officium Subcollectoris.
- 29 Clerici conjugati non debent exercere officia publica.
- 30 Clerici possunt unà cum Laicis suffragium dare pronominatione Rectoris Beneficii, seu Capellani Capellae Jurispatronatus Universitatis.
- 31 Clerici Negotiatores quomodo sint puniendi innuitur.
Clericus, qui semel negotium illicitum fecit, non dicitur Negotiator.
Delictio duo dicit multa, ibid.
Delictio plurimi, & delictio multi, in tribus verificatur.
- 32 Clericus Negotiator lucris non solatur, sed affligitur.
- 33 Clerici initiati prima Tonsura sub Ritu Latino non possunt transire ad Ritu Graecum absque dispensatione Apostolica, ibi, nu. 33.
- 34 Clerici Albanenses commorantes in Italia gaudent privilegiis Clericalibus.
- 35 Clerici vulgò dicti Silvatici, quibus privilegium fruuntur.
- 36 Clerici inquisiti de delicto in foro Episcopi non possunt se constituere coram A. C. ante definitivam.
Et an appellare valeant ante biennium à denegata iustitia?

FRà le più assidue sollecitudini, che occupano la mente zelantissima di Nostro Signore, per il bene spirituale della Chiesa, una si è di conservare, e ravvivare nel suo vero decoro la Santità, e Dignità del Sacerdozio; poiche dipendendo dagli Offizii di quest' ordine l'istruzione, la correzione, e la santificazione de' Fedeli, conviene ancora, che l'esemplarità della vita, e la gravità dei costumi sia in esso così distinta, e superiore ad ogn' altro, che corrisponda alla sublimità del grado, & al fin della sua Instituzione. Quindi è, che coll' Oracolo della sua viva voce ha Sua Beatitudine ordinato, che si scriva à tutti i Pastori di Diocesi. la presente lettera circolare, à fine d' eccitare una più esatta vigilanza in procurare l'adempimento, & osservanza dell' ordinazioni de' Sacri Concilii Ecumenici, e specialmente di quello di Trento, in ordine all' onestà della vita del Clero, e singolarmente in non permettere; & onninamente impedire, che li Sacerdoti non s'impieghino in officii fervili del Secolo, e de' Laici, e specialmente di Donne, improprii a' Ministri dell' Altare, & al carattere sacrosanto, il quale quando venga conferito secondo le disposizioni del Sagro Concilio di Trento, con l'attual servizio d'una Chiesa, cesserà l'occasione di simili scandali, e si toglierà all' oziosità, e povertà di un numero straordinario, e disapplicato, ogni scusa, e compatimento per tolerarli contro i sagri

sagri divieti, inimpiegbi abietti, & indecenti. Saprà V. E. col fervente suo zelo conformarsi coll' esecuzione à quello di Sua Beatitudine, e le baccio per fine umilmente le mani. Roma 16. Marzo 1697.

G. Card. Carpegna Prefetto.

Loco ✠ Sigilli.

M. Arcivescovo d' Arene Segret.

ADNOTATIONES.

ATUTTI I PASTORI DI DIOCESI. Hic quæras oportune, an in Lege, seu Constitutione Papali universaliter comprehendantur Episcopi, & Patriarchæ Catholici Orientales? dico quod non, cum Verricell. *de Apostolic. Mission. tit. 3. de Legibus quæst. 84. nu. 3. & 4.* ubi firmat, quod Patriarchæ Orientales Catholici non comprehenduntur in Constitutionibus Apostolicis, nisi de illis expressa fiat mentio, & sunt Maronita, Armenus, Græcus, Caldeus, & Assirus.

2 Et hinc fit, quod hujusmodi Patriarchæ uniti Ecclesiæ Romanæ vigore facultatis ipsis attributæ à Concilio Nicæno, & Ephesino, validè ordinant Episcopos, & Archiepiscopos, quia nec Papa, nec Concilium Tridentinum, nullibi eis talem potestatem ademit, immò *Eugenius IV. in sua Constit. 17. §. 9.* expressè illam confirmat, & ità fuisse quoque decisum refert *Nicol. in verb. Græci num. 6. Pignatell. conf. 135. nu. 1. tom 7. Hallier. de Sac. Ordin. & elect. par. 2. art. 3. nu. 11. & seq. pag. mibi 775.*

3 Verùm si Ritu eorum Maronitico, sive Græco consecrarent in Episcopum Sacerdotem Sæcularem, vel Regularem Latinum, consecratio esset quidem valida, sed non licita, & consecratus incideret in penas *Clementinæ in plerisque de elect. pro ut declaravit Sac. Congr. Concilii in una Tyren. Consecrationis 17. Novemb. 1691.* in qua addita fuerunt hæc verba -- *Moneatur quoque consecrans charitativè per D. Secretarium, ne ultra consecret Latinos absque licentia Sanctæ Sedis.* Consecratus autem per Patriarcham Maronitarum erat Religiosus Ordinis Minorum Sancti Francisci, qui passus fuerat consecrari absque ulla permissione suorum Superiorum, un-

dè de plano verificabatur transgressio citatæ Clementinæ.

4 D'UN NUMERO STRAORDINARIO. Admonet Papa his verbis Episcopos, ut sobriè agant in ordinando, & quod ad Divina Ministeria promoveant, quos dignè possint Dominica Sacramenta tractare, & opus Dei exercere, pro necessitate suarum Ecclesiarum: Melius enim est paucos, & dignos habere Ministros, quàm multos inutiles, qui onus grave Ordinatori adducant, ut priùs monuerat *Clem. Papa in Can. tales 4. 23. dist. & iterùm Greg. Papa Adeodato Episc. in Can. estote 119. t. qu. 1.*

5 An autem Episcopi in locis ubi non reperiuntur digni, possint, & debeant minus dignos, & minus habiles pro necessitate Ecclesiarum promovere? si credendum Pasqualigo, videtur respondendum quod sic; hic enim Author *ad controuv. de Franc. par. 1. nu. 364.* hæc habet -- *Quando tamen penuria esset notabilis, possent ordinari minus habiles, si meliores non adessent, qui ordinarentur. Tunc enim qui assumerentur essent digniores ex illis, qui possent assumi; nec obligatio assumendi digniores ad aliud obligat, quàm ad respectivè digniores, respectu eorum, qui assumi possunt. Unde in cap. Nimis grave de præbend. reprehenduntur ii, qui dum possint assumere idoneos, assumunt indignos; & proinde obligatio promovendi digniores, est juxta possibilitatem.*

6 At tu libenter Pasqualig. rejecto te neas, ignaros, & eos qui non habent requisita Concilii Trident. cap. 12. 13. & 14. sess. 23. de reform. numquam esse ad Ordines promovendos, quacumque Presbyterorum penuria non obstante: quicquid enim sit, an Episcopus cum illis, qui sunt juvenes in via studiorum, & probabilem spem exhibent proficiendi, possit aliquando arbitrium sumere dispensativè,

I i 4. ut.

possint, ut licet minus instructi, ad aliquem Ordinem Sacrum ascendere, ad tradita per Pac. Jord. lib. 3. tit. 6. nu. 248. de quorum postea dubitavit l. g. tit. 1. nu. 187. in fin. hoc admitti forsitan possit de jure communi antiquo juxta opinionem Glos. in Clem. 1. de concess. præbend. verb. reputamus, & Innoc. in cap. cum in cunctis de elect. Cæterum hodie Concil. Triden. exigit, quod nisi actu sint idonei ad alios docendum, & Sacramenta ministranda, non promoveantur ad Sacros Ordines, & contra Concilii Decretum non possunt Episcopi dispensare etiam ex magna causa, ut observat Fagnan. in cap. cum in cunctis nu. 151. & 152. de elect. inferens per hæc verba -- Vnde Sac. Congreg. Concilii etiam in locis ubi maxima est Sacerdotum inopia nunquam censuit ignaros posse promoveri ad Sacros: licet jam promotis ad Presbyteratum censuit conferri posse Parochiales Ecclesias, quando litteratiores inveniri non possunt: quod decretum postea refert in c. queris nu. 18. de etat. & qualitat.

7 Verùm pro removendis Episcoporum cordatorum scrupulis, juvat hic referre verba ipsius Fagnani in dict. cap. queris nu. 19. ubi modificando dicti Decreti rigorem sic subjungit -- Cæterum in his casibus necessitatis, non adeo subtiliter exquirenda estabilitas promovendorum, arg. cap. tuam infra eod. ideoque cum quidam ant. Concil. Trid. ad Subdiaconatus ordinem promoti, & post idem Conc. quadraginta annorum majores effecti ob beneficiorum ac Sacerdotum in eorum Diocesi penuriam esse ad titulum Patrimonii in Presbyteros ordinari Sanctissimum exorarent, Sanctitas sua, & si hoc remiserit arbitrio Episcopi, nihilominus subjungit, cum his quo ad sufficientiam, Episcopum non debere exquirere tam exactè illa, quæ ex Concilio exiguntur, nisi ministranda Sacramenta, & ad Curam animarum exercendam deputati essent.

8 IN IMPIEGHI ABIETTI, ET INDECENTI. De his, quæ Clerici de jure vetita sunt, plura adnotavi ad Form. X. tit. de Edict. hic autem de aliis acturi, exordium summat ex cap. ipsi Sacerdotes 1. quest. 1. ubi dicitur quod tanto facilius Sacerdotes exaudiuntur, quanto apud Deum sunt digniores: si autem Clerici,

& Presbyteri mali sunt, quis orabit pro eis? cap. alienum 67. distinct. 50.

9 Clerici igitur, qui occupati se officii illicitis, ab Ecclesiæ ministeriis sunt expellendi, & deponendi juxta Decretum Gelasii Papæ relatum in cap. consequens est 88. dist. Officium autem abjectum, & vile dicitur, quando Clericus Beneficiatus, aut in Sacris constitutus inservit alicui laico in Domo, vel extra pro suis negociis peragendis, Barbos. in cap. Sacerdotibus n. 2. cum ab eo allegatis ne Cler. vel Monach.

10 Ex communi lege prohibente Clericis negocia sæcularia, non possunt Beneficiati & in Ordinibus Sacris constituti medicinam exercere ad evitandam cupiditatem lucrandi, cum sit species negotiationis, nisi exerceatur ex motivo charitatis, & sine periculo inferendi culpabiliter alicui mortem, cap. ad aures de etat. & qualitat. ubi glos.

11 Indulgetur tamen à Sac. Congreg. Concil. etiam Presbyteris, ut possint compositiones Hyacinti, Julepporum, & Alchermes facere, & distribuere in usum pauperum, prout indulget Canonico Urino Terræ Apiri Camerinen. Diocesis sub die 26. Septembris 1693.

12 Solet etiam frequenter expediri à Secretaria Brevium Indultum pro Sacerdotibus Physicis, ut possint artem medicam exercere absque incurfu irregularitatis, cum clausula tamen -- gratis, & amore Dei erga omnes attenda penuria Medicorum: & tunc neque à sponte dantibus poterunt mercedem recipere, quia prohibitus ne aliquid exigat, censetur vetitum etiam à sponte dantibus, juxta theoreticam traditam à Sperell. decis. 37. nu. 80. & Bellet. disq. Cler. tit. de exempti. Cler. bon. §. 2. nu. 2. & ita intelligi debere declaravit Sac. Congreg. Concilii in Caducen. 14. Aprilis 1696. ad quarum, in qua causa declaratum quoque fuit, quod illa verba Brevis -- attenda penuria medicorum, accipienda sunt moraliter.

13 Si verò Indultum contineret clausulam -- donec in redditibus Ecclesiasticis habueris unde sustentari possis, aut Beneficium residentie obtinueris: tunc conditio diceretur purificata, quando exercens obtine-

tineret Canonicatum etiam parvi redditus, Et si adesset in Breui alia clausula, quæ ut plurimum apponitur -- *dummodo nihil petas, sed à sponte dantibus, à pauperibus verò nihil omnino recipias*: tunc non posset Medicus Sacerdos à publico conducì mercede conuenta; prout ad utrumque casum respondit *Sac. Congr. Episc. in Terracinen. 6. Septemb. 1697. referente clar. mem. Card. Petruccio.*

Casus autem talis erat-- Medicus Lucatellus, & Medicus Fatigatus ambo Sacerdotes, fuerant conducti à Civitate Terracinen. & quia fatigatus in Cathedrali dictæ Civitatis Canonicatum redd. tus scut. 50. gravatum tamen pensione scut. 10. obtinuerat, Lucatellus cœpit prætere illud non potuisse absque incurfu irregularitatis exercere, ex eo quia esset purificata conditio sui Indulti. Et licet Fatigatus exciperet, quod Canonicatus non esset sufficiens pro ejus sustentatione; nihilominus Sac. Congr. utraque parte audita, & informante rescripsit-- *Faticato non licere exercitium Medicinæ, & quoad Lucatellum scribatur Episcopo juxta mentem. Mens est quod sciatur, an exerceat sponte, & gratis, an potius vigore contractus cum Communitate: nam si vigore pacti, Lucatellus esset in eadem Navi, obstante sibi clausula Brevis.* Hæc referre hic volui, quia casu est contingibilis, cum plures hodie Sacerdotes Medici exercent vigore Indultorum, quæ semper continent unam, vel alteram ex prædictis clausulis. At quia tenor Indulti, vel occultatur, vel ignoratur, curæ erit Episcopo illud inspicere, ne cupiditas lucrandi, illicitum, licitum fingat.

14 Clerici nati ex damnato coitu non possunt deputari in Subcollectores Spoliorum, ut declaravit *Sac. Congreg. Concil. in Bituntina 4. Maii 1697.* in responsione ad sextum: Si autem essent legitimati per subsequens Matrimonium, in omnibus filiis legitimis, & naturalibus quod omnes juris effectus æquiparentur, etiam si in Statuto, vel alia dispositione diceretur, quod providendi, eligendi, & deputandi, debeant esse nati ex legitimo Matrimonio cap. tanta, qui filii sint legit. *Rocc. disput. select. cap. 8. per tot.* nisi agatur de provisione Beneficii habentis talem legem,

Corrad. prax. disput. lib. 3. cap. 1. num. 7.

15 Et hic nota, quod si illegitimus, si ve Clericus propter aliquem alium defectum dispensaretur ad Ordines, non censeretur dispensatus ad Beneficia juxta generalem regulam de qua *Corrad. prax. disp. lib. 2. cap. 5. n. 25. & 26.* Quæ regula vera est in dispensatione ab irregularitate totali, & absoluta proveniente ex delicto, non autem in partiali procedente ex aliquo corporis defectu, quæ nequit ad omnia in habilitate, ut distinguunt *Castrop. p. 6. tract. 19. de cens. disp. 5. punct. 5. n. 6. Gibellin. de irregular. cap. 2. p. 1. n. 4. & 5.*

16 Nisi tamen iste corporis defectus esset talis, ut deformitatem (*quam Archidiacon. in cap. si Evangelica 35. dist. vocat enormem*) induceret, & super qua Papa dispensare non solet, de qua *Corrad. prax. disp. lib. 3. cap. 6. n. 33.* puta in eo cui erutus esset oculus cum magna estossione, vel in eo, qui patitur defectum in brachio, manu, & similibus.

17. Cæterum dispensatus ad Ordines ob maculam, vel defectum virtutis vivæ in oculo, non indiget alia dispensatione ad obtinenda Beneficia, etiam cum Cura animarum, Canonicatus, & Dignitates, prout declaravit *Sac. Congreg. Concil. in Arimin. 16. Martii 1619.* his verbis -- *Congr. censuit Oratorem oculo dextero, ut proponitur, orbatum, si ex dispensatione Missam celebret, ex hoc capite non indigere alia dispensatione ad obtinenda Beneficia Ecclesiastica etiam Curam animarum habentia.*

Hoc Decretum fuit confirmatum in *Nuscana 26. April. 1639. lib. 21. Decret. fol. 624. & in Lucana 12. Januarii 1697.* in qua proposito dubio an dispensatus ad Ordines ob defectum virtutis vivæ in oculo Canonis, indigeret nova dispensatione ad Beneficia etiam Curata, & Canonatus, & Dignitates etiam in Cathedrali, responsum fuit -- *non indigere.*

18. Clerici diffamati de Homicidio per indicia, & publicam famam, diffamationem non purgant, quamvis torturam sustineant, sed remanent irregulares, *Sac. Congr. Concil. in Asculana 8. Julii 1690.*

19. Clerici deferentes comam fictitiam vulgò *Perrucca* possunt excommunicari si sint Beneficiati, vel in Ordinibus

Sa-

Sacris constituti, ut habetur in Concilio 3. Constantinopolitano can. 96. his verbis - qui per Baptismum Christum induerunt, conversationem ejus in carne imitaturos professi sunt. Qui igitur capillos in perniciosum intuentium, quadam implicatione digerunt intenteque ornant, &c. interiorem potius, quam exteriorem hominem virtutibus ornent, & nullas secum reliquias ferant adversæ stoliditatis; qui secus se gesserit excommunicetur, quod refert Baii. in Sum. Concil. ubi dicit, quod hæc Concilii generalis prohibitio malè servatur in Gallia.

20. Hancque pœnam excommunicationis ferendæ sententiæ contra Beneficiatos, & in Sacris constitutos deferentes comam fictitiam, sustinendam, & imponendam esse declaravit Sac. Concilii nonnullorum Cardinalium specialiter à Papa deputata in Vigilen. Synodi 28. Maij 1699. in responsione ad vigesimum octavum; contra verò cæteros Clericos minorum Ordinum esse procedendum juxta dispositionem Concilii sess. 23. cap. 6. de refor.

21. Clerici igitur, qui coronam, & tonsuram capillorum non deferunt, sunt puniendi. Tonsuræ autem duæ sunt species; una quæ competit Clericis deputatis ad officia Divina, quæ figuratur in modum spheræ, vel coronæ, & de hac loquitur cap. prohibete. distict. 23. & cap. duæ sum. 12. quæst. 1. & fit in supremo vertice capitis, ut mens Clericorum ad cœlestia desideria elevetur. Altera competit Conversis, qui cum Divinis Ministeriis non occupentur, capilli superiùs non raduntur, sed inferiùs tonduntur, quia temporalia depouunt, & hæc est propriè tonsura, & non rasura, ut distinguit Glos. in Clem. 2. ver. & tonsuram de vit. & honest. Cleric. Silvest. in verb. Clericus nu. 2. & post eum Ambrosin. de immunit. Eccles. cap. 23. num. 2. 3. & 4. Et Clerici, qui primam non deferunt, dicuntur nutrire comam, Graff. dic. par. 1. lib. 3. cap. 3. nu. 2. in fin.

22. In puniendis autem Ecclesiasticorum excessibus, duo advertere debent Ordinarii. Primò, quod non erit imponenda pœnitentia publica, nisi pro delicto, quod mereatur depositionem, Fagnan. in cap. manifesta num. 14. & in cap. quæsitum num. 13. & seqq. de pœn. & remiss. Pirhing.

in jus can. l. 5. eod. tit. §. 1. num. 3. delicta autem, quæ de jure merentur depositionem, enumerantur in cap. unum Orarium §. alias dist. 25. Et hinc evenit, quod cum Episcopus Senogallien. pœnitentiam publicam vellet imponere duobus Presbyteris Curatis, qui in Synodo adversus illius Decreta (quæ munia Parochialia per se ipsos adimplere debere Parochos ardebant) reclamaverant, & alta voce proclerant hæc verba -- tu quoque prædicare teneris, & non prædicas, Sac. Congreg. Episcop. bis causâ proposita, & Episcopo informante sub diebus 29. Februar. & 27. Martij 1692. eidem injunxit, ut petita per eos venia, & imposita pœnitentiâ salutaribus recipere privatim.

23. Alterum, quod licet Judex nec mitior, nec severior lege esse debeat; nihilominus Episcopus magis ad pietatem, quam ad severitatem, & justitiæ rigorem inclinare debet, præsertim cum illis, qui per fragilitatem lapsi sunt, vel impetum involuntarium, vel gravem causam, & occasionem habuerunt errandi, vel in præteritum virtuosos, pacificos, & morigeratos fuerunt, & tanquam homines fragiles sine malitia deliquerunt, maximè si delictum contra Deum, vel Religionem non est, ut monet Ribadaneyr. in tract. Religionis l. 2. cap. 12. pag. mibi 340.

24. Veruntamen aures non præbeant adulantibus, & perperam asserentibus: Venationem cum armis: interessentiam spectaculis, & Comediis publicis: ludum Alearum, & Taxillorum esse oblectationes innocentes: quia ludi, & actiones, quæ ad peccatum inducunt (prout sunt illæ, quæ hic asserimus, & alibi ad id allicere probavimus, & ex quibus crimina oriuntur) ludos, & actiones innoxias appellare non possumus, & si contrarium dicimus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. Sancta enim Ecclesia divinitus edocta, & cui Jesus Christus servans promissa assistentiam præbet, invariabiliter actiones prædictas Clericis prohibuit. Unde cum eisdem talia frequentantibus haud erit connivendum.

25. Et quoad venationem ratio prohibitionis Canonum est. Primò quia sanguis ferarum armis effusus, animum Cle-

Clericorum (qui debet esse mitis, & lenis, ac procul ab inclinatione crudelitatis/red- dit ferocem. Secundò, quia Cleris gestan- do arma se exponunt periculo evadendi ir- regulares ob mutilationem membrorum tam sui ipsius, quàm aliorum, quæ sæpè accidit in gestatione, usu, & explosione armorum. Tertiò, ob indecentiam habi- tus venatorii: ferendo scilicet lateri peram, scapulis sclopium, manibus, & clamoribus canes: quæ Ministros Christi lucro, & ve- nationi Animarum, ac Altaris ministerio destinatos ferre, & alere non decet. Quartò, quia venationi dediti redditus Ecclesiæ illicitè infumunt. Quintò, quia ob illorum malum exemplum impotentes evadunt ad corrigendum sæculares, quando isti oblectationem hanc vertunt in vitium, utpotè quia diebus festis tem- pus immoderatè venationi implicant, & actus Religionis relinquunt: vel alen- do canes cum excessu inordinate substan- tias dissipant, & eleemosynas pauperibus Christi debitas, aut familiæ alimenta sub- trahunt.

26. Quo verò ad spectacula publica. Primò quia, qui obligationem habet im- probandi vanitates, & voluptates sæcu- li, potius factis, & exemplo, quàm ver- bis docere debet. Secundò quia ex fre- quentatione spectaculorum detegitur af- fectus ad illecebras Mundi, cum quibus Clerici pugnare debent, ut corruptellas valeant redarguere, & emendare. Ter- tiò quia hujusmodi spectacula, & præser- tim Comediæ prophanæ ratione loci, temporis, interventus Mulierum, & alia- rum circumstantiarum actionem conco- mitantium, sensus omnes emolliunt, & voluptatibus animum propensorem red- dunt: passiones mirum in modum, & præcipuè concupiscibilem excitant, & accedunt; quæ omnia opposita, & con- traria sunt Spiritui Ecclesiæ, & Mini- strorum ejus, qui à voluptatibus cor aver- tere debent, & passiones humiliare, ac refrenare, ut mundi valeant portare Vasa Domini.

27. Quo tandem ad ludum Aleorum, & taxillorum. Primò, quia ludens sæpè habet cupiditatem lucrandi, quæ dicitur radix omnium malorum. Secundò, quia

non solum proferuntur verba otiosa, & mendacia; sed etiam blasphemias. Ter- tiò, quia adest corruptio proximorum, quos malum Clericorum exemplum infi- cit: boni enim scandalizantur, & insipien- tes corrumpuntur. Quartò, quia exponunt se periculo injuriarum, & rixarum, nec non iræ, quæ torquet victum. Quintò, quia distrahuntur ab obligationibus pro- prii officii, ac redduntur desides, & socor- des circa servitium Ecclesiæ, & res Divi- nas. Sextò, quia his ludis dediti si pecu- nia carent, ut ludere valeant furantur, & in profundum malorum demerguntur. Se- ptimò, quia, ob injustitias, deceptiones, & fraudes, quæ intercedunt, sæpè contra- hitur obligatio restitutionis, quæ tamen raro, vel numquam fit. Octavò, quia il- licitè ammittuntur bona non solum contra rationē, cum omnibus à Deo data fuerint, ut illorum usus esset legitimus: sed etiam contra dispositionem Sac. Canonum, qua Clerici prohibentur redditus bonorum Ec- clesiæ, & Beneficiorum ludo aleorum, seu taxillorum exponere: Ex quibus lu- dis Host. in Summ. tit. de excess. prælat. §. Clericus, sexdecim crimina oriri tradit his versibus:

*Ecclesiæ spretus, usuraque sive rapi-
na,
Scandala, vel nugæ, blasphemias, seu
faciendi
Furti doctrina, violentia, crimina
falsi,
Et mortis causa, deceptio, per ditio-
que
Temporis, & desiderium, corruptio,
junges
Istis prædictis, adulatio, vitæque tur-
pis.*

28. Parochis præterea, & aliis Curam Animarum habentibus, officium Subcol- lectoris non licet exercere: & quatenus ad id deputarentur, eorum electio in vali- da esset, & exemptione Subcollectorum non gauderent, prout declaravit Sac. Con- greg. Immun. in Strongolen. 4. Junii 1641. lib. 3. Decret. Paul. fol. 146.

29. Clerici autem Conjugati, qui ha- bent requisita cap. unic. de Cleric. Con- jug. in 6. licet possint interesse Conciliis publicis Universitatis, nec Episcopus
id

id eis valeat prohibere, ut respondit *Sacr. Congregat. Immun. in Avellinen. 3. Octobr. 1634. lib. 2. Paul. fol. 203.* Nihilominus, sicuti non possunt inviti ab Universitate eligi ad officia publica, *ead. Sac. Congreg. in Hieracen. 4. Julii 1645. lib. 3. Decret. Pauluc. fol. 253.* ita nec sponte illa suscipere, nec exercere debent; & si moniti ab Episcopo nollent se ab illis voluntarie abstinere, tunc præfixo eis termino competentem declaret privatos privilegii Clericalibus, quatenus requisita *d. c. unic.* non servant, & non incedant in habitu, & tonsura, *ead. Sac. Congreg. in Viterbien. 27. Febr. 1646. l. 3. Decr. Paul. fol. 273. à tergo.*

30. Cæterum si Universitati competere jus nominandi, & præsentandi ad Beneficia, sive ad Cappellanas, Rectorem, & Cappellanos; tunc Clerici etiam non conjugati admitti possent, & deberent (si vellent) in Concilio publico ad ferendum suffragium una cum laicis, quia est actus favorabilis, & in favorabilibus Clerici veniunt appellatione populi, & Universitatis; & concessio privilegio hominibus alicujus loci veniunt etiam Clerici si eouti velint, *Graff. de effect. Cler. in præjud. num. 378. & seqq. Vivian. de jurepatr. l. 6. c. 1. n. 78. & 80. & ita competere, & admitti debere declaravit Sac. Cong. Concilii in Aquilana 20. Decembris 1698.*

31. Clerici tandem negociatores puniendi erunt ad præscriptum *Sacr. Canonum*, nempe, *cap. secundum, c. sed nec ne Cleric. vel Monac. c. fin. de vit. & honestat. Cleric. cap. consequens 88. distinct.* Quæ autem sint negocia etiam Clericis licita, pro quibus non debeant molestari, referunt, & enumerant *Barbos. de jur. Eccl. l. 1. c. 40. n. 119. cum seqq. Passerin. de stat. hom. to. 2. q. 187. n. 153. & seqq. ubi Decreta Sac. Congr. refert per extensum.* Clericus vero, qui semel negocium illicitum fecit, non potest vocari *Negociator*, ut inquit *Passerin. supra citat. secus si his, vel ter, quia qui dicit duo dicit multa. Glos. in cap. ad nostram verb. per multos de reb. Eccles. non alien. & dictio plurimi & dictio multi in tribus verificatur, Tusch. litt. T. concl. 35. n. 12. Barbos. dict. 214. & 266.*

32. At sive multum, sive parum Clericus negocia, & commoda temporalia

sectetur, semper erit indecens; certumque sit, quod qui lucris inhiat, & pacitur terrenis, non solatur, sed affligitur: quoniam acquiruntur cum labore, possidentur cum timore, amittuntur cum dolore, ut inquit pius Cardinalis Bellarm. *in Opusc. de ascen. ment. in Deum grad. 3. §. agnoscis nē.*

33. Clerici initiati prima Tonsura sub ritu Latino, non possunt transire ad ritum Græcum absque dispensatione Apostolica, sine qua si promoveantur ab Episcopo Græco ad alios Ordines, sunt ipso jure suspensi, ut decreto generali declaravit *Sac. Congregat. Inquisitionis de Urbe feria quarta 16. Martii 1644. reg. fol. 155.*

34. Clerici vero Albanenses qui in aliquibus Italiae partibus vivunt Ritu Græco, gaudent privilegiis Clericalibus, etiam si post contractum Matrimonium cum unica, & Virgine, Ordines Clericales susceperint, prout declaravit *Sac. Congreg. Immunitatis in Bisignanen. 26. Junii 1646. lib. 3. Decr. Paul. fol. 284.*

35. Quo tandem ad Clericos vulgo nuncupatos Silvaticos, erit procedendum juxta formam præscriptam in Decreto generali emanato pro Regno Neapolitano, tempore Gregor. XV. tenoris sequentis: *Sac. Cardinalium Congregatio negotiis Regni Neapolitani præpositorum certior redita, in nonnullis ejusdem Regni Diocessibus Diaconos, quos vocant Silvaticos, in maximum numerum citra Ecclesiarum necessitatem aut utilitatem excrevisse. Volens eorumdem exemptionis causam declarare, & fraudibus quibuscumque occurrere: De Sanctissimi D. N. Gregorii XV. mandato viva vocis oraculo de super habito, Diaconos Silvaticos hujusmodi pro Ecclesiarum, & Episcoporum servitio retinere, vel in locum quoque modo deficientium assumi posse, in Cathedralibus, seu Superioribus Ecclesiis, ad summum quatuor, in Collegiatis, vel Parochialibus duos, in aliis vero Ecclesiis, in quibus Divina celebrantur si Episcopo videbitur, unum. Quos quidem Episcopi gratis prorsus, & tales qui omnino per se ipsos, non autem per interpositam personam, servitium debitum præstent, nec ullò modo criminosos, aut malæ conditionis, & famæ eligere debeant, aliàs & hi nullo*

gau-

gaudeant privilegio, & eligentes, iudicium Sedis Apostolicæ severum experientur; eos vero privilegio Canonis non gaudere; fori autem privilegio in Criminalibus omnino, in Civilibus quoad corporis distractionem tantum, & Immunitate ab oneribus personalibus, non autem ab aliis durante servitio frui debere; sed si alicubi majoribus utantur privilegiis, & Immunitatibus ex legitima consuetudine, cujus declarationem, & cognitionem in casu controversiæ eadem Sac. Congregatio sibi reservat, illam debere attendi: Cognitionem vero aliorum præmissorum ad Ordinarios pertinere, hoc præsentis Decreto statuit, præcepit, & declaravit.
Romæ 10. Kal. Julii 1623.

Octavius Cardinalis Bandinus.

Laurentius Campegius Secret.

In Regest. Script. Veter. fol. 15.

36. Et hic per modum supplementi ad adnot. Edicti de vit. & honest. Cleric. nota

quod Clericus inquisitus de delicto in foro Episcopi, non potest se constituere coram A. C. & jurisdictionem Ordinarii declinare, ante completum processum, & Decretum definitivum, juxta mentem Sac. Congreg. Concilii declaratam Pontifici in una Ivernien. appellationis 9. Septembris 1690. quæ est in hoc articulo punctualis. Immo, quod in causis criminalibus non possit appellare à foro Episcopi ad Metropolitanum à denegata justitia ante lapsum biennii, attenda dispositione Concilii cap. 2. sess. 23. & cap. 20. sess. 24. de reform. tenent Barbol. de potest. Episcop. alleg. 81. num. 13. Eagnan. in cap. venerabilis de judic. & secuta est Sac. Congreg. Concilii in Albinganen. 28. Novembr. 1693. Quamquam alii teneant, quod factis instantiis cum debito intervallo pro expeditione Causæ, & cum protestatione appellandi à denegata justitia, licita, & valida sit appellatio etiam non transacto biennio, dummodo non constet de impedimento, quos refert, & sequitur Zaul. ad Stat. Favent. tom. 1. rubr. 7. lib. 3. num. 15.

Advertenda in Visitatione.

Cancellarius.

- A**N scripturæ tam actorum Civilium, quàm Criminalium, integrè, distinctè in locis, ac armariis aptis, fideliter retineantur.
- An retineatur liber benè compactus, in quo registrentur nomina, & cognomina illorum, qui professionem fidei ad formam Constit. Pii IV. la 89. emiserrunt, & an in dicto actu adhibeantur testes cum expressione diei, & anni, prout adhibendi sunt.
- An retineatur liber pariter benè compactus in quo adnotentur, & registrentur supplices libelli, Decreta, & rescripta gratiosa, provisiones, & permissiones Episcopalia, in quibus non conficiuntur Processus.
- An retineatur liber benè compactus, & cartulatus, in quo adnotentur ea omnia, quæ pertinent ad Moniales.
- An retineatur liber, in quo adnotentur Ordinationes generales, & particulares, aliæve Episcopi Pontificales functiones.
- An acta Ordinandorum distinctè, & ordinatè servantur, & custodiantur.
- An adsit Inventarium omnium scripturarum, & Processuum.
- An supradicti libri retinendi, habeant in frontispicio, seu titulo subscriptionem, & approbationem Episcopi, vel Vicarii Generalis, & Cancellarii, illius temporis quo fuerunt compacti, & à principio inscripti: prout illam continere deberent, ut illis major fides præstari possit.

Ca.

Capitulum, & Canonici.

- An Officium Divinum, Missæ, & Horæ Canonice in Ecclesia, & Choro statutis horis recitentur, & cæteræ functiones expleantur.
- An cum Veste talari, & habitu Canonicali devotè, modestè, attentè, & cum silentio.
- An Punctatores fideliter officium exerçant, & juramentum præstiterint.
- An Capitulum determinata die convocetur, & à quo.
- An resolutiones Capitulares fiant per vota secreta, & in libro fideliter registrentur per Capituli Secretarium.
- An Officiales Capituli singulis annis per vota secreta eligantur, & in fine anni suæ administrationis rationem reddant, & de ratione reddita in libris Capituli legitimè appareat.
- An adsit Archivium scripturarum, in quo Inventarium bonorum omnium Capituli custodiat unà cum cæteris scripturis ad eundem pertinentibus.
- An adsint Statuta Ecclesiæ, seu Constitutiones Capituli, & an sint ab Ordinariis, vel à Sede Apostolica approbatæ.
- An adsint distributiones quotidianæ.
- An adsint Præbendæ Theologalis, & Pœnitentialis.
- An Dignitates, & Canonici sint ordine distincti.
- An adsit Mansionarii, Beneficiati, vel Cappellani servitio Chori additi.
- An in Choro adsint Psalteria, Antiphonarii, & cæteri libri necessarii.
- An adsit Tabella Horaria.

Parochus.

- An retineat quinque libros Parochiales bene compactos, videlicet status Animarum, Baptizatorum, Matrimoniorum, Confirmatorum, Defunctorum.
- An habeat Archiviũ in quo scripturæ ad Ecclesiam spectantes custodiat sub clavi.
- An continuò resideat in Parochia, vel potius frequenter ab ea discedat absque licentia.
- An diebus Dominicis pueros, & puellas doceat Doctrinam Christianam, & habeat sermonem ad populum, festa, & jejunia denunciet.
- An diebus Dominicis, & Festis de præcepto, Sacrificium pro populo applicet.
- An Testamenta Parochianorum consecerit, & ubi, & quomodo illa retineat & an ad Cancellariam Episcop. ut in publicam scripturam releventur transmiserit.
- An retineat Coadjutorem.
- An admittat externos, & vagos Sacerdotes ad Sacrum faciendum absque licentia Curie Episcopalis.
- An publicet Indulgentias absque approbatione Episcopi, vel Vicarii Generalis.
- An incidat Arbores frugiferas, & infrugiferas in bonis Ecclesiæ, aut alia bona ejusdem distrahat, absque beneplacito Apostolico, vel Episcopi.
- An Sacramenta ministret super pelliceo, stola, & veste talari indutus, & festis diebus, etiam non vocatus, Confessionali de mane infideat.
- An Domi cohabitet cum Mulieribus, & quæ sint.

An habeat Sac. Bibliam, aliosque libros pertinentes ad suum officium.
An Sacramenta & Sacramentalia sub feris, & clavibus custodiat.

Vicarius Foraneus.

An in morte Parochorum inventarium rerum Ecclesiæ conficiat, & scripturas omnes, & libros Parochiales ab hæredibus defuncti recuperare invigilet testibus adhibitis.
An dispositiones, & legata relicta favore locorum piorum Vicario Generali communicet, ut executioni mandentur.
An Clericos, & Sacerdotes scandalosos, vel indevotè Missam celebrantes Episcopo denunciaret.
An Parochos, & alios Curam exercentes, desidiosos, & eorum munia negligentes, ad Episcopum deferat, ut corrigantur.
An peccata publica, & scandala, quæ emergunt, pariter Episcopo denunciaret.

Clericus.

An habeat penes se Testamentum vetus, & novum latinum vulgatæ editionis, Concilium Trid. Catechismum, Rituale, & summam aliquam Theologiæ Moralis, & Librum aliquem spiritualem.
An semper incedat cum Veste, & Clericali rasura, & Tonsura decenti, Missam audiat quotidie, Ecclesiæ cui est adscriptus saltim diebus festis inserviat, Doctrinam Christianam doceat, & Communionem frequentet, & Scholam, *Conc. Trid. sess. 23. cap. 11. 13. & 14. de reform.*
An aleis, aliisque ludis incumbat aut venationi, spectaculis, & choreis intersit, & in prophanis comediis fiat actor, & an cum Mulieribus cohabitet, & quæ sint.
An implicet se negociis secularibus, mercaturam exercendo, prædia, aut vestigalia Laicorum conducendo, aut Laicis pro Factore, seu Magistro Domus inserviendo.
An habeat superpelliceum, & biretum mundum.

Presbyter.

An & quos libros retineat, & studeat.
An, & quibus ludis det operam, aut venationibus.
An quotidie Sacrum faciat.
An celebret recitatio Matutino cum Laudibus, & cum paramentis integris, & mundis.
An ante celebrationem Missæ, Tabacchum sumat, & quoties in hebdomada confiteatur peccata, & ante Missam præparationem faciat.
An in Civitate, & locis populosis celebret cum veste talari.
An quotidie recitet Divinum Officium statis horis, & in quo loco.
An habeat superpelliceum, & biretum decentis proprium.
An interveniat Processionibus, & aliis functionibus Ecclesiasticis publicis loci, in quo permanet.
An semper incedat cum Veste talari in Civitate, & locis parvis decenti cum corona, & tonsura capillorum.

An

- An interfit, aut ducat Choreas, in Comediis fiat actor, & in commestationibus, & conviviis tempus insumat.
- An cohabitet cum Mulieribus, & quæ sint.
- An implicet se negociis sæcularibus Mercaturas exercendo, aut vectigalia Laicorum conducendo; aut negocia tamquam Factor, & Minister eorundem Laicorum agendo, vel Procuram exercendo.
- Si Visitator in hac speciali Clericorum Visitatione adverteret illos veritatem non dicere, posset ab eis exigere juramentum postea quâ in eos audivit, ut dicit *Graff. dec. aur. par. 2. cap. 27. num. 6. & 63.*

Regulares.

- An adsint in numero sufficienti, & habeant qualitates præscriptas à Constitutionibus Apostolicis.
- An servent, & servari faciant ab eorum famulis dies festos, nec non censuras, & interdicta ab Episcopali Curia emanata.
- An admittant in eorum Ecclesiis Presbyteros Sæculares externos ad celebrandas Missas, absque Episcopi, aut ejus Vicarii licentia. -- *Sacr. Congreg. Concilii in Neapolitana 17. Augusti 1617.*
- An publicè exponant SS. Eucharistiæ Sacramentum sine licentia Ordinarii.
- An habeant Conservatorem legitime electum ad formam Constit. Greg. XV.
- An eleemosynas quærant, licet non indigeant.
- An incedant per loca sine socio, & vadant de nocte.
- An se ingerant in administratione bonorum spectantium ad Societates Laicorum in eorundem Ecclesiis erectas.
- An Sacramenta infirmis ministrent infcio, aut Parocho invito.
- An celebrent Missas horis inconsuetis, vel Sermones habeant in Ecclesiis sine licentia Episcopis, vel miracula prædicent non authentica.
- An accedant ad Monasteria Monialium absque licentia, præter formam præscriptam à Decretis Apostolicis.

Moniales.

- An mtri Clausuræ habeant prospectum activum, vel passivum in Domo, vel è Domo Sæcularium.
- An Mansiones Confessarii Monialium exemptarum sint penitus disjunctæ à Monasterio.
- An Moniales scribant Epistolas extra Clausuram absque licentia Abbatisse.
- An Moniales utantur fenestrella, ubi audiuntur Confessiones, ad colloquendum cum exteris.
- An adsit in Monasterio capsula communis, in qua deponantur omnes pecunie provenientes à Monialibus particularibus.
- An admittantur exteri ad colloquendum cum Monialibus absque licentia in scriptis Episcopi, vel Vicarii Generalis.
- An introducantur in Clausulam catuli, pueri, vel puellæ cujuscumque ætatis.
- An reperiantur electæ, & deputatæ Auscultatrices, Rotariæ, & Ostiarie.
- An retineantur ab Abbatisa libri benè compacti, & cartulati, in quorum primo describantur dietim data, & accepta, introitus, & exitus, quo possit legi

galiter in fine officii rationem reddere Episcopo suę administrationis. In altero per modum Inventarii descripta sint bona stabilia, jura, Census, & Credita Monasterii cum indicatione rogitorum Instrumentorum. In tertio libro registrentur resolutiones Capituli Monialium, acceptationes Puellarum ad Habitum, & Professiones, cum expressione diei, mensis, & anni: quos libros si inveniatur Visitator non retineri, omninò provideat.

An in Monasterio adsit locus separatus pro Educandis, & pro Novitiis.

An omnes Moniales sumant cibum in Refectorio tempore mensę, ex culina, & erario communi paratum.

An Moniales parent cibos exteris, vel dona eisdem mittant, aut recipiant absque licentia, & scientia Abbatissę, & Monasterii.

An admittantur Regulares ad celebrandum Sacrum in Ecclesia absque licentia Episcopi, seu Vicarii Generalis.

An omnes Moniales saltem semel in Mense confiteantur, & sumant Eucharistiã.

An omnes intersint Choro ad recitandum hora debita Divinum Officium, & Orationibus, & aliis pietatis exercitiis communibus.

An omnes quotidie audiant sanctum Sacrificium Missę.

Quos Libros retineant, & legant; & an tempore Mensę fiat lectio alicujus Libri spiritualis, & servetur silentium.

Visitet Dormitorium, seu Cellas, & observet an unaquęque Monialis habeat lectum separatum.

An habitus Monialium sit uniformis, & ad præscriptum Regulę. *Sacr. Congreg. Episc. in Casenaten. 26. Septembris 1692.*

Inquirat cautè, & prudenter de vita, moribus, & directione Confessarii.

Eremitæ.

An in Ecclesiis Civitatis, Suburbiorum, vel Diocesis permaneat aliquis Eremita absque approbatione Episcopi.

Hospitalia, & Montes.

An adsint Erecciones, Statuta; & an legitimę, an honesta, & licita.

An infirmis subministrentur corporalia, & spiritualia.

Revideantur computa, & administrationes.

Confraternitates Laicorum.

An sint legitimè erectę auctoritate Apostolica, vel Ordinaria, & habeant Statuta approbata.

An bona, & eleemosynę fideliter administrentur, & Officiales à plena Confratrum Congregatione singulo anno eligantur per vota secreta, & computare videantur, & solidentur.

An habeant Inventarium omnium, & singulorum bonorum, Cappellanum, & Depositarium ab Episcopo approbatus.

An retineant Libros distinctos, in quorum primo resolutiones Societatis legitimè congregatę registrentur. In secundo nomina, & cognomina Confratrum.

In tertio revisiones computorum, & sententię absolutorię, & condemnatorię

- toriarum administratorum, & aliorum Officialium Societatis, necnon Decreta visitationum.
- An habeant Archivium scripturarum.
- An sint aggregatæ Archiconfraternitatibus Urbis, vel habeant alia Indulta, & Privilegia.
- An Confratres debitores Societatis, bona, & introitus ejusdem administrent.
- An bona stabilia Societatis locentur absque prævio edicto, & ultra triennium.
- An intersint Processionibus publicis.

Seminarium.

- An adsint Deputati electi ad formam Concilii.
- An adsint Magistri, & quot, & Rector.
- An Alumni sint omnes Civitatis, vel Diocesis, & omnes sint Clerici, & pauperes.
- An omnes Alumni habeant requisita Concilii.
- An admissi præstiterint fidejussionem in Actis Curie impensas victus reddendi, quatenus ad statum Laicalem redierint.
- An redditus fideliter administrentur.
- An adsint regulæ ab Alumnis servandæ.
- An Alumni inserviant Ecclesie Cathedrali diebus festis ad formam Concilii.
- An incedant per Urbem soli sine veste.

Ecclesia.

- An ædificentur Ecclesie, Cappellæ, Orotoria publica, absque licentia Episcopi, & dote, & quæ jam ædificata fuere sint collapsæ, & indigeant reparatione. *cap. Nemo Ecclesiam c. Nullus Presbyter dist. 1. de Consecr.*
- An Altaria habeant in medio saltem lapidem sacrum debitæ latitudinis cooperatum tela cerata, gradum ligneum, vel lapideum cum duobus Candelabris, & Cruce cum Imagine Crucifixi, *c. si motum dist. 1. de Consecr.*
- An dicta Altaria habeant Icones integras decenter depictas cum Imaginibus sacris ab Episcopo benedictis.
- An sint Mensæ eorumdem Altarium tectæ cum tribus mappis albis, & mundis, quarum superior ab utroque latere usque ad suppedaneum descendat.
- An habeant suppedanea lignea cum repagulo, pulvinaribus, vel legili, & Tabellas Sacri Convivii, Lavabo, & In principio.
- An Altaria sint proportionatæ altitudinis, latitudinis, & longitudinis, muro undique plano, & incrustato, ac signo Crucis in facie munita, cum pallio.
- An muri, tectum, pavementum, valvæ, Campanæ, & Campanile indigeant reparatione.
- An in Sacratio adsint suppellectilia omnium colorum integra, & munda, an Armaria in quibus custodiantur, an Calices, & Patenæ deauratæ, an Corporalia, Pallæ, Purificatoria, Manutergia, Bursæ, Bireta, Veli, Missalia, omniaque decentia, & expulita, *c. In Sancta, &c. Vestimenta de consecr. dist. 1.*
- An adsint sedilia, vel scamna, quæ Sacerdotes celebrantes, aut functiones Ecclesiasticas perturbent, & impediunt.

An Aqua Iustralis fit in Vase exposito, & renovetur singulo octavo die.
 An adsit Inventarium bonorum, & sacrarum suppellectilium.
 An pro Sacrificio Missæ adsint pelvicolæ mundæ, Ampullæ, Campanulæ, Manu-
 tergia, Hostiæ albæ, & instrumenta pro illis, necnon Particulis retundendis.

Funus.

An in funeribus adsint abusus, puta quod Cadavera affociantur sine Cruce, sine
 Lumine, & sine Parocho, vel cum ululatu Confanguineorum. Mulieres evel-
 lant fibicrines, aut aliquid aliud agant gentilium more.
 An Cadavera Defunctorum processionaliter ad Ecclesiam deferantur ante or-
 tum, vel post occasum Solis absque licentia.
 An tradantur Sepulturæ ante lapsum temporis viginti ad minus horarum, post-
 quam quem Animam è corpore exhalasse pro certo habeatur, eos verò qui re-
 pentina morte ante lapsum 24. horarum.
 An Parochus, aliive, sepulturam denegent, aut differant prætextu non solutæ elee-
 mosynæ, & an pauperes gratis sepellantur. *Ecclesiast. c. 7. Ritual. Rom. de Exeq.*
 An in Ecclesia Parochiali adsit Sepulchrum separatum pro parvulis decedentibus
 cum Baptismo ante septennium, prout construi debet.
 An in Ecclesia Cathedrali adsit Sepulchrum separatum pro Canonicis, & aliud
 pro Clericis.
 An Cadavera infantium decedentium sine Baptismo sepellantur propè Ecclesiam
 in loco non sacro ad id specialiter constituto.
 An Cœmeteria, quæ religiosa loca sunt, undique muro sint circumdata, & in
 medio signum Crucis elevetur.
 An Sepulturæ constructæ, & effossæ reperiantur subtus Altaria, vel propè, ut
 illarum ora suppedanea pertingant; hæc enim obstruenda omninò sunt, aliàs
 Altaria interdicantur.
 An in Ecclesiis Monialium sine licentia Sac. Congregat. tumulentur Cadavera
 Laicorum, sive Marium, sive Mulierum: Si hoc enim fieret interdicatur;
 dummodo non sint Patroni Ecclesiæ, qui in fundatione hoc jus sibi, & hære-
 dibus reservassent, vel cum licentia Sac. Congreg. & Monialium Sepulchrum
 ab antiquo tempore haberent constructum.
 An Parochus præter quartam pro Cadaveribus extra Parochiam tumulandis ali-
 quid aliud exigat ab hæredibus Defuncti: id enim vetitum est, non obstante
 contraria consuetudine, *Sacr. Congr. Episc. in Civitatis Vetulæ 2. Junii 1690.*
& Sacr. Congr. Concilii in Mantuana 16. Januarii, & 3. Aprilis 1694.
 Hortentur Sacerdotes, ut sibi ipsis decedentibus suffragiorum vicem retribuunt.

Reliquiæ.

An decenter custodiantur in thecis saltem ex ligno deauratis, & cristallo, seu vi-
 tro integro contectis, cum suis inscriptionibus.
 An retineantur in Armario ornato loco fixo sub sera, & clavi, cum epigraphæ,
Reliquiæ Sanctorum.
 An adsit Cathalogus omnium Reliquiarum, & an sint authentica, vel ignotæ,
 aut dubiæ fidei.

An asportentur ad infirmos. Si enim hoc fieret, prohibeatur.
 An in illarum publica expositione accendantur lumina: & si subtus Altaria sine
 deposita Corpora integra Sanctorum, an retineatur Lampas accensa.

Indulgentia.

An publicentur absque licentia, & approbatione Episcopi.
 An adsint Brevia, & concessionones authenticæ.
 An fiant mercimonia, & quæstus, prætextu, & occasione Indulgentiarum.

Imagines Sacræ.

An Imagines Sanctorum exponantur in Ecclesiis adorandæ priusquam ab Episcopo benedictæ, & approbatæ.
 An Imagines Sacræ sint depictæ in locis fordidis, aut locis irreverentiæ obnoxii.
 An deformatæ, & deturpatæ, indè enim tollendæ sunt, vel restaurandæ, & si fieri nequit dealbandæ. -- *l. unica Cod. nemin. sic. sign. Salvator. &c. Sac. Congreg. Episc. in Veneta 22. Maii 1596.*
 Signum Crucis si in pavimento sculptum inveniatur, indè tollatur, ne pedibus conculcetur, *l. un. Cod. nemo lic. sign. Salvator. &c.*
 An Imagines Jesu Christi, Beate Mariæ Virginis, Apostolorum, ac Evangelistarum reperiantur depictæ cum habitu, vel forma ab Ecclesia non usitata, vel cum habitu Regularium: Si enim taliter pictæ inveniuntur etiam in Ecclesiis exemptis, debent deleri, & reformari. -- *Urban. VIII. in Append. 2. Const. 51.*

Baptismus.

An Fons sit lapideus, vel ex alia materia solida cum cooperulo ex metallo sine rimulis, propèque adsit Sacarium.
 An Fonti affixum sit Tabernaculum, seu ut appellant Ciborium saltem ligneum decorè fabrefactum, in quo sit contignatio, ubi Vascula argentea, seu stamnea Oleorum Chrisimatis, & Cathecumenorum reponantur, cum suis inscriptionibus.
 An ibi retineatur coclear argenteum, seu saltem stamneum ad fundendam aquam in caput baptizandi: Vas cum sale benedicto, & lintheamina munda.
 An Ciborium decenti conopeo vestiatur, ne sordes supernè decidant, & illud commaculent, & firmissima fera claudatur.
 An Obstetrices sint examinatæ, & approbatæ.
 An admittantur Patrini minores 14. annis, & Matrinæ minores 22. & an Regulares, vel Clerici in Sacris constituti sine licentia. -- *Ad Eccles. Mediol. par. 1. Synod. Diac. 3. Decr. 17.*
 An Baptismus Infantium protrahatur, & differatur ultra tres dies; & nomina Ethnicorum imponantur? *Clem. unic. de Baptism.*
 An Baptizati eodem die à Parocho, vel alio, qui de ejus licentia, aut Episcopi, Sacramentum ministravit, describantur in Libro Baptizatorum.
 Ad hoc Sacramentum extra casum necessitatis conferatur Domi.

Con-

Confirmatio.

- An in officio Patrini admittantur non confirmati, vel ignorantes rudimenta Fidei. An Regulares. An in Ordinibus Sacris constituti.
 An admittantur ad recipiendum hoc Sacramentum minores septennio, qui non fuerunt instructi, ac adulti non confessi.
 An qui fuerunt Patrini in Baptismo, admittantur, & fiant Patrini ejusdem pueri in Sacramento Confirmationis.

Eucharistia.

- An retineatur in Tabernaculo affabrè facto, & extrà majori ex parte deaurato, & interiùs undequaque serico panno decentis coloris vestito, in Pixide argentea orbiculata, & auro intus illicita, cum suo cooperulo, & conopæo super corporali mundo.
 An Ostiolum Tabernaculi sit firmissima seta, & clavi argentea, & deaurata clausum, quam Parochus apud se diligenti custodia retineat.
 An Tabernaculum sit tectum decenti conopæo, & de illis provisum omnium colorum.
 An particulae consecratae hyeme saltem singulis quindecim, æstate octo diebus removeantur.
 An ante Altare Tabernaculi diu, noctuque colluceat saltem una expolita lampas.
 An in Tabernaculo præter Pixidem aliquid aliud quantumvis sacrum afferretur? quod si fiat removeatur. *Cap. Relinqui de custod. Euch.*
 An delatio Eucharistiæ ad Infirmos fiat cum debita associatione luminum, cum Baldachino, seu Umbella in locis parvis, Pluviali in Civitate, & Oppidis nota dignis.
 An Mulieres accedant modestè ad sumendam Sacram Eucharistiam, vel potius irreverenter mammis, & brachiis denudatis.
 An non communicantes in Paschate moniti fuerint, & illorum nomina transmissa ad Curiam Episcopalem.
 An, & quoties in anno fiant Processiones cum delatione Eucharistiæ, & expositiones publicæ.

Pœnitentia.

- An hoc Sacramentum ministretur in Ecclesia in Sede Confessionali cum Superpelliceo, & Stola.
 An Sedes Confessionales habeant Crates saltem ligneas, seu potius laminas ferreas spissis foraminibus terebratas, ac benè undequaque hærentes, cum asserculo versatili cujus objectu facies Sacerdotis populo occultetur; nec non piam aliquam Imaginem ex parte Pœnitentis: Et an sint in loco visibili.
 An Confessarii audiant Confessiones extrà Sedem Confessionalem, præsertim mulierum, & puerorum è conspectu nulla interposita crate: Nam si

talis abusus inveniretur, pœna suspensionis ab audiendis confessionibus effect tollendus.

An in Sede Confessionali sit affixa Tabella casuum reservatorum, & Summarium Bullæ in Cœna Domini.

Oleum Infirmorum.

An retineatur in Ecclesia in fenestrella à cornu Evangelii Altaris Majoris intus panno serico obducta in Vasculo argenteo, seù saltem stanneo, atque id in ampliori Capsula lignea undequaque gossipio circumposito cum sera, & clavi, inscripto supra ostiolum, *Oleum Infirmorum.*

An Parochus illud deferens ad Infirmos sit indutus Superpelliceo, & Stola, an in serica burfa violacei coloris inclusum, & cordulis item sericis collo appensare verenter ferat.

An conferatur pueris usum rationis, & malitiam peccandi non habentibus, furiosis lucido intervallo carentibus, & impœnitenter decedentibus. *Cap. Evangelium 26. quest. 7.*

Matrimonia.

An Parochi Matrimonia denuncient, antequam femotis arbitris consensum mutuum contrahere volentium receperint.

An Parochi antequam Matrimonia denuncient, recognoscant, an contrahere volentes sint legitimæ ætatis, confirmati, in Mysteriis Fidei edocti, an consanguinei.

An Sponsi antequam Matrimonium contrahant invicem converfentur, absque interventu Parentum, & Consanguineorum.

An Parochus saltem bis in anno in Missis Parochialibus populo impedimenta Matrimonii denunciet.

An Parochi exteros, vel eos, qui à Diœcesi diù fuerunt absentes, absque licentia Episcopi in Matrimonio jungant.

An Parochi dispensent unam, vel alteram ex denunciationibus faciendis, auctoritate propria, absque permissione Episcopi, vel Vicarii Generalis.

An denunciationes fiant semper diebus Festis de præcepto interpolatis.

An Parochus, vel alter, qui de ejus licentia, vel Episcopi, contrahentes Matrimonio conjunxit, Matrimonium describat in libro eadem die, vel differat descriptionem.

An Matrimonia contrahantur semper in Ecclesia, vel aliquando Domi sine licentia Episcopi, vel Vicarii Generalis.

An temporibus ab Ecclesia prohibitis absque Episcopi licentia.

Missæ Sacrificium.

An ad Sacrum faciendum admittantur Exteri absque litteris dimissoriis, seu commendatitiis, recognitis, & approbatis ab Episcopo, vel ejus Delegato.

An

An adsint in loco Sacerdotes, qui indevotè, properè, & irreverenter Sacrificium celebrent.

An Sacrista, seu Rector Ecclesiæ permittat, & admittat ad celebrandum Presbyteros, qui coronam, & vestem Clericalem decentem, & ab Edictis, seu Constitutionibus Synodalibus præscriptam non defecerunt.

An in Missis novis fiant quæstus; & an Sacerdos novellus admittat Laicos ad Altare ad osculum manus: Nam si iste abusus inveniatur, tolli debet; cum patris Instrumentum, seu Crux ad osculum exhiberi debeat, & non manus, & oblationes, si quæ offerri contingat, hoc fiat in medio Altaris, Sacerdote populo obverso. *Sac. Congr. Concil. apud Zerol. in prax. verb. Missa.*

An in celebratione Missarum Sacerdotes utantur Calicibus, & Patenis disauratis, Planetis attritis, & corrosis, albis, & amictis immundis, cingulis fractis Corporalibus commaculatis, ac Missalibus laceratis, vino acido, vel mucido, & an parati sint urceoli mundi cum pellicula salt em testacea.

An Tabella onerum Missarum in qualibet Ecclesia in Sacristia appensa in loco patenti retineatur.

An in eadem Sacristia retineantur Libri, (non folia quæ vento rapiuntur) in quibus eadem die, qua celebratæ fuerunt, per eosdemmet Sacerdotes adnotentur Missæ celebratæ: Et an servetur silentium, vel potiùs indecentia committantur.

Mandet, quod Sacerdotes Exteri, aut vagi, qui cogniti non sunt, quoties cum licentia Episcopi, vel Vicarii admissi fuerint ad Sacrum faciendum, in Libro scribant, se tali die celebrasse; ad hoc, ut si fortè falsos, & fictos Sacerdotes esse compertum fuerit, constare possit de corpore delicti per propriam confessionem.

Legata Pia.

An in loco visitato præter onera, & legata Missarum, adsint alia legata pia adimplenda.

An de illis habeatur, & retineatur nota in Cancellaria Episcopali, ac in Libris Ecclesiæ, seu alterius loci pii visitati.

An adimpleantur.

Doctrina Christiana.

An in Cathedrali, aliisque Ecclesiis Parochialibus, reperiantur erectæ sodalitates Doctrinæ Christianæ.

An adsint peccatores publici, puta Concubinarij, Sortilegi, Usurarii, Blasphemi, Lamæ, Conjuges separati absque judicio Ecclesiæ, retinentes, & legentes Libros prohibitos absque licentia, evulgantes erroneas, & falsas doctrinas, ac damnatas ab Ecclesia propositiones, Confessarii tam Sæculares, quàm Regulares absolventes à reservatis absque Episcopi expressa facultate, Hæretici, aut de hæresi suspecti.

An in Ecclesiis Parochialibus, & aliis, in quibus sodalitates sunt erectæ, edoceantur pueri, & puellæ in his, quæ pertinent ad Mystera Fidei, & bonos mores.

Hæc inquam regulariter, & substantialiter advertenda erunt in visitatione, quæ omitti non debent. Cæterum juxta locorum, & Ecclesiarum qualitatem, & exigentiam, arbitrio prudentis Visitatoris, etiam alia plura erunt consideranda, & providenda, quæ ego, cum sint extrâ institutum Operis, hic non refero, ne transcriptoris nomen usurpem, & videri ad saturitatem possunt apud *Fusch. Restam. Pac. Ford. & Chrispinum*, qui de visitatione absolutos tractatus ediderunt.

Omnia verò, quæ Visitator ordinaverit, decreverit, & adnotanda esse censuerit, per Secretarium, sive Notarium visitationis fideliter, & integrè in Libro referenda erunt: Quia Libri hujusmodi plenè probant, ut dixit *Rot. coram Duno. Jun. decis. 61. num. 6. Panimoll. decis. 10. num. 12.* & alii adducti per *Romaguer. ad Synod. Gerund. lib. 1. tit. 1. cap. 6. num. 6.*

Finem itaque imponendo: Omnia, quæ tam in Opere, quàm in hac Appendice, ad honorem, & laudem sempiternæ, & Sanctæ Trinitatis per me dicta, composita, extensa, collecta, & adnotata fuerunt, censuræ Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ libenter subijcio.